



Remitarium Camaldulense, S. P. Romualdi
 Rex Legato M. D. Feliciani de Smogorzow Wz-
 somicz Cap. Harcuł. G. P. eo.

LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO
1900

A VI. 12

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY
1900

ILLUSTRISSIMO
Ac
REVERENDISSIMO PRINCIPI.
ET
DOMINO
Dno. VENCESLAO
DE
LESZNO LESZCZYNSKI
S.R.I. PRINCIPI,
COMITI de LESZNO.
EPISCOPO WARMIENSI.

Domino ac Patrono gratiosissimo



abet hoc omnis historia ,
quà prisca , quà recen-
tior , præcipuum , ut &
novitios lectores mirifica voluptate
oblectet , & eos , qui jam lege-
runt , jucundissima cogitatione re-
ficiat. Quam suave enim est in hi-

Ad Varsavianam ^(*) *historia*

storia divagari? quam jucundum
sine labore, modo hæc, modo illa
loca intueri, bellis sine periculo in-
teresse, quæ ab Assyriis, quæ ab
Ægyptijs, Persis & Medis, Græ-
cis, aliisque antiquioribus populis
gesta sunt, ex brevibus pagellis co-
gnoscere; à literâ, per se mutâ,
doceri; cum Themistocle in mari;
cum Leonida in terra pugnare, cum
Agésilao trajicere; cum Xenophon-
te incolumem redire: amare cum
Panthea; venari cum Cyro; re-
gnare cum Cyaxari. Charybdin
videre, sed sine naufragio; & Si-
renas audire, sed sine vinculis:
cum Cyclope agere, sed miti & pa-
cato; cum Hercule monstra debel-
lare, sed sine sanguine? Hæc &
similia plura alia quem non ma-
ximoperè afficiant, neminem repe-
rire

rire licet; & quidem ita, ut quod-
cunque quis vitæ genus sectetur,
narrationes tamen non minus amet
historicas, quam cætera ad inti-
mos artis suæ recessus pertinentia.
Theologus quæ ad J. Ctumpertinent,
spernit; J. Ctus quæ ad Medicum.
Omnes tamen Historiam veneran-
tur, non quod delectet solum, sed
& quod facultatem ipsorum con-
summet, & perficiat. Ut ut vero
historia ex antiquitate ut pluri-
mum commendetur, attamen si-
cut præclara quæque facere perso-
narum, non semper temporum dos
est, sic & concinno stylo præclare
acta gesta que publicare, non ma-
gis præsentis est, quam illius sæcu-
li. Neque n. omnia apud priores
meliora, sed nostra quoque ætas
multa laudis & ariium imitanda

posteris tulit. Hinc & recentior
historia, si solerti diligentia in lite-
ras emissa fuerit, licet res sub no-
stris oculis gestas contineat, novita-
te sua non minus quam recentes
telluris fructus, jucunda esse legen-
tibus consuevit. Qualis cum & hæc
præsens de Jubilæo proximo episto-
lica dissertatio à Nobilissimo Juvene
(etsi non hoc edendi fine, ut conjicio)
exarata & mihi & aliis visa fuerit,
æquum esse judicavi, eam nitidio-
ribus typis exscriptam bono publico
non invidere. Prospicienti vero mi-
hi, cujus nomini eandem consecra-
tam emitterem, omnino Tibi, Præ-
sul Celsissime, eam inscribere & de-
bui & volui. Debui, ut cum Tu
hujus Jubilæi pars magna fueris,
duplicemque in eodem personam
magna tua cum gloria, avitarum-
que

que laudum incremento, sustinueris, hic tanquam in speculo, tua prudenter & graviter gesta, & dicta, cernas, eaque & nunc & in posterum, in pretio fore intelligas. Volui, ut pro tanto benevolentiae & beneficentiae Tuæ cumulo, singularique illa erga me humanitate gratum animum ostenderem, & cum tot in me collata beneficia retaliare non possim, sempiterna tamen memoria illa me excolere, indiesque revolvere aliquomodo testatum facerem. Tu vero Domine gratiosissime, suscipe quicquid est muneris, quod etsi Tuæ Dignitati nullum augmentum addere possit, tamen quia de te etiam loquitur, tanto magis à posteritate commendabitur. Deus Te Episcopatus, omnibusque bonis ad multos annos incolu-

*mem seruet. Dabam Varſaviæ 1d.
Aug. 1652.*

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſi-
mæ Ceſtitudinis Tuæ

Devotiſſimus Cliens


GEORGIUS FORSTERUS.
S. R. M. Bibliopola.

ILLV.

OMNIBUS
ILLVSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO
M E N A R D O
COMITI
D E
B E A U M O N T .

Salutem & cultum
LUTETIAM PARISIORUM.

Illustrissime Comes.

 Escio quousque pergam, sed hoc animo ordior, ut, quem sedente INNOCENTIO X vixi Romæ ANNUM 7UBILÆI Illustrissimę dignitati Tuę quomodocunque repræsentem. Scio non styli mei, non ætatis, res magnas, & pagellas annales scribere: sed, quod res est, dicam: prævalet apud me Tui cultus, & cùm iteratò, ac amicissimè, quâ Tu in magnâ fortunâ magnâ humanitate, hanc rem me poscas, ego verò hæcte-

nus inter verecundiam & audaciam
 medius, per obsequium meritò, lu-
 bens, & alacriter nunc adgredior.
 Non præfabor autem, sive Bonifacius
 VIII Jubilæi apud Romam autor,
 sive instaurator. illud lego, *Anno*
MDCCC ad certitudinem præsentium,
& memoriam futurorum solenniter in-
 dixisse: unde colligere, ajunt, jam
 tum antea innotuisse, incuriosâ po-
 sterorum vetustate. quamvis ultra
 quidam heic progressi, supra omnes
 Bonifacios, ac Benedictos tenebrico-
 sam hanc Jubilæorum partitudinem
 audacius adstruant: & quid non, quæ-
 so, adrogantiæ circumforaneis philo-
 ris de Anno Sancto, quæ mihi oppor-
 tunè nunc ad manus. *L' anno santo*
ajunt nostro vuole Polidoro Vergilio, che
fusse instituto da Bonifacio VIII. per-
che esso fu il primo che sopra di quello pro-
molgò Bolle: M A S' 7 N G A N-
N A. perche avanti gli tempi di questo
Papa, che governò la chiesa nell' anno
1300 era in uso: il che si raccoglie dalla

sua bolla stessa, dove dice: Antiquorum fida habet relatio &c. E nelle storie della Madonna di Monte serrato si dice, ch' il fondatore di quella chiesa, essendo caduto in un peccato di carne, venne a Roma per acquistar l'indulgenza. per esser in quel tempo in Roma l'anno dell' indulgenze, e pur è cosa certa, detta chiesa essere stata, fabricata 600 anni prima di Bonifatio ottavo. E Giacomo Cardinale di S. Giorgio, nipote di detto Papa, che si trovò nell' anno 1300 quando Bonifacio fece la Bolla dell' anno santo, narra in un suo libretto dell' anno santo, come nelli vesperi della vigilia di natale dell' anno 1299 era concorsa una grandissima quantita, tanto di Romani, quanto di Forastieri, alla Basilica di S. Pietro: frà quali comunemente si diceva, esservi quel giorno una grandissima indulgenza, concessa già da

ANTICO TEMPO: Dice in oltre ch' al primo Gennaro 1300 moltiplicò in Roma talmente la moltitudine de' fedeli, ch' impedendosi l' uno l' altro, a pena si poteva caminar per le strade, del

che restò il Papa fuor di modo maravigliato, ed essendosi per ordine suo, voltati molti LIBRI ANTICHI E BOLLE DE SVOI PREDECESSORI, NON FU TROVATA COSA ALCUNA scritta intorno a tal SOLENNITA. Inspirato dunque da Dio fece investigare frà i piu vecchi, e fu trovato un PELLEGRINO DI CENTO E SETTE ANNI. il quale alla presenza del Papa e del suddetto Cardinale disse, ch'era stato CON SUO PADRE A ROMA L' ANNO CENTESIMO PRECEDENTE, e ch' il detto suo Padre l' haveva avvisato che non si scordasse nel futuro CENTESIMO (essendo vivo) venirei di nuovo, atteso ch' in ciaschedun giorno del suddetto anno si guadagnavano grandissime indulgenze. Altri due Francesi dissero il medesimo come testimonii di vista: e molti altri per haverlo udito da suoi maggiori, fecero l' istessa testimonianza. & paulo post:

post : *questo dunque* SI SA DI
 CERTO *che ha havuto principio*
 MOLTI ANNI AVANTI
 A BONIFACIO. Nec id cir-
 cumforaneæ tantum philyræ, sed &
 præclari cætera nominis alii commen-
 tati. quorum tamen & anonymi &
 duo illi ex Belyacensi (nam & hoc ad-
 dit Benzanius) Galliarum dicecesi ca-
 pulares ac depontani testes, quorum
 effatu omnis hæc adsertio stat, cadit-
 que, utrum æquè verè Jubilæo illi,
 adfuerint, interfuerint, viderint,
 quam inter Deos rēlatis, ac sublimè
 abeuntibus Romulo, Augusto ac Dru-
 fillæ, compertum est interfuisse, ad-
 fuisse, Geminium, Numerium, Pro-
 culum; an pari fide ab aliis fando mor-
 tualia ista acceperint, aut simili fortè
 vi illecti, qua illi à Patribus, hæc tunc
 ita adtestati, non est apud Te, non est
 meum pluribus arbitrari. Sed nec
 porro locus heic adscribere, seculum
 Bonifacii VIII. Clementem VI. ad
 annum L. Urbanum VI. ad annum

XXXIII. denique Paulum secundum ad annum XXV. restrinxisse: nam cui, amabo, fini? Nimirum odi intempestivam MUSONII cujuscumque sapientiam, & Annibalem doceat campestria Phormio, Apellem umbras, ac lineas Megabyssus: non ego. Nec Te, COMES ILLUSTRISSIME, hæc antiqua: qui divinam complexus memoriâ res Majorum, hoc ipsum mihi vicissitudinis circa Jubilæorum Romæ indictiones, cum in Hippodromo Regio aliquando apud vos exercebamur Parisiis. (quod prolixo cum cultu Tui ac gratâ memoriâ hodieque meritissimo recolo) benevolentissimè ediffertasti. hæreo tamen circa Urbanum VI. & numquid ille verè ad annum XXXIII. reduxit Jubilæa? Firmat scio, eclogarius jam citatus: *l' interstizio, inquietens, di un anno santo all' altro è stata da varii Pontifici in diversi tempi alterato Bonifacio VIII ordinò si celebrasse ogni cento anni. Clemente VI ogni cinquanta.*

quanta. URBANO SESTO
OGNI TRIGESIMO TER-
ZO : sed verè fatear ? etsi vocabulo
barbaro : brocardica materia mihi hic
est eliquator. Enimvero annon huic
Urbano VI quoque (quod de Ponti-
ficibus Canonistæ) pedes plumbei ?
vel numquid Bulla ejus inter Revoca-
tiones Pontificias referenda , quæ di-
cente Cardinale Tuscho , hodie non
habentur à Bonifacio IX eâdem fide-
liâ fors obducta, antiquata? Sanè apud
Thuanum , Sleidanum , Piascium :
quid ? quod apud scriptores sui sæculi,
ipsumque Platinam altum , siquidem
rectè memini , ejus silentium. Ut an-
num Jubilæum indixisse (an in pecto-
re potiùs reservasse ?) Urbanum VI
ad annum XXXIII fors dicendum
sit : at turbis variis exercitum ac præ-
peditum non celebrasse , nec hanc ite-
ratam Jubilæorum luxationem tum
probatam in quem sensum mihi curio-
sissimus talium scientissimusque præit
Amati : *Clemente VI inquit, ridusse
l'anno*

*L'anno anto ad anni cinquanta, e lo celeb-
bro Urbano V I. lo ridusse a TREN-
TA TRE ANNI: MA SE-
CONDO ALCUNI L' IN-
DISSE SOLAMENTE, E
NON LO CELEBRO: poi
Bonifacio I X che le successe lo celebrò.*
Quæ postrema tamen Amati verba
amico adjuvanda interpretatu: nam
secus? ambigui intellectus, & juxta
falsum. Ecquid enim sibi ista: *poi Bo-
nifacio I X che le successe celeb-
bro?* an
quod Urbanus indixerat? isto nimi-
rum modo quo celebravit Sixtus I V.
quod Paulus I I promulgaverat? ita
videtur arguere: & hoc ipso fors ex-
emplo inductus Pauli I I. Verùm,
pace boni censoris dixero, memoriã
si ita, lapsus est. Non si in annum
X X X I I I. indixit Urbanus V I. qui
fuiſſet annus 1383 & non defunctus
Pontificatu ac vita nisi anno 1389
quomodo, quæſo, Bonifacius I X
potuit, quem Urbanus iste in annum
83 ſeculi ſui indixerat, celebrasse?
Cele-

Celebravit autem annum Jubilæi Bonifacius IX. at non quem Urbanus, sed quem Clemens VI anno quolibet quinquagesimo celebrandum sanciverat, ipseque celebrârat. Brevius, Bonifacium VIII An. cIo ccc. Clementem VI. an cIo ccc l. Bonifacium IX an. cIo cccc celebrasse Jubilæum, per monumenta temporum res apricatur: Urbanum VI autem vel indixisse, vel celebrasse anno cIo ccc lxxxiii ingenuè fateor parùm liquere. Nisi annus (ut hoc addam) per halcyonia aut incrementa Ecclesiæ felix Pontificatu ejus fortè inciderit, nobiliori Jubilæi vocabulo insignitus: qualis Cardinali historico annus Christi est cccc l. Theodosio mortuo, Chrysaphio interfecto, Dioscoro criminali, aliisque lætus, felix, gratus Jubilæus: at nec istud. imo inquires Roma toto ejus Pontificatu, nec majoribus ferè unquam conflictata Italia cladibus: & rediivus Galba Taciti hic Urbanus,
 major

major privato visus , dum privatus fuit , & consensu quorundam capax imperii , nisi imperasset. Quæ tamen ego instituti memor , non nunc latiùs : & sufficit dicere , quam Urbanus VIII anno hujus seculi xxv. die , qui proximè præcedit Natalem Christi, PORTAM SANCTAM Basilicæ Petrinæ terminando Jubilæo , pompaticè clausit, INNOCENTIUM X. hoc ipso die anni novissimi clō Iōcīl JUBILÆO inquam ITERUM APERIUNDO : sollemnissimè reserasse. Jamque die Adscensionis , indictio universalis Jubilæi anni sancti millesimi sexcenti quinquagesimi solennis præcesserat. Qua Innocentius Episcopus (verba Bullæ) Servus servorum Dei, universos Christi fideles adlocutus , ad Trophæa ac limina Apostolorum augusta , sancta , & quorum etsi illi Piscatores, ipsi ultro reges, principes facti erant Ostiarij benignissimè invitare. hinc utriusque sexus verè pænitentibus , & confessis

fessis qui Beatorum Petri & Pauli
 Apostolorum Basilicas Lateranensem
 quoque ac Sanctæ Mariæ Majoris ali-
 asve Urbis Ecclesias, semel saltem in
 die per triginta continuos aut inter-
 missos dies, si Romani, vel Incolæ
 urbis, seu per quindecim dies, si Pere-
 grini aut aliàs externi devotè visita-
 sent, & pro ipsorum fidelium, ac to-
 tius Christiani populi salute, pace &
 concordia pias ad Deum preces effu-
 dissent, plenissimam omnium peccato-
 rum suorum indulgentiam, remissio-
 nem ac veniam misericorditer imper-
 tiebatur. Admonere Patriarchas, Pri-
 mates, Archiepiscopos, Episcopos offi-
 cij, ut, adhibitâ prædicatione divini
 verbi, hoc gaudium Populis annuntia-
 rent, ut adducerent filios ad patrem,
 oves ad pastorem summum, membra
 ad Caput, fideles ad fidei Petram, ver-
 bo: ad Romanam ecclesiam, & ad
 gloriosos Principes Terræ, Petrum &
 Paulum: quorum fides, dignitas, &
 authoritas indigno etiam in hærede
 non

non deficeret. Denique hortari, rogare Imperatorem, Reges, Principes, pastora-lem sedulitatem ac vigilantiam adjuvare, ut Peregrini cum primis tutis incederent itineribus, nulla hominum perditorum vexatione perturbati, sed Hospitalibus, Domibus & publicis hospitiiis amanter excepti; & com-
meatu & rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione & injuria institutum iter læti peragerent, & cum gaudio in patriam reverterentur: Quibus de iis qui stationes sacras obijissent constitutis, quid de Monialibus, quæso, tandem, quarum & votum & Regula vetat, claustris suis unquam egredi, ut nec facultas, vel cupidissimis, sive animi causâ, sive animæ Basilicas illas Jubilæi, ad-eundi, venerandi? super illis speciali Bulla dispensabat Papa: ut imitatione quatuor Basilicarum, ad altaria quatuor, per ecclesiam vel Xystos monasterii, destinata, preces solennes triginta diebus funderent; ita futuræ indulgentia-

gentiarum plenissimè jubilæi participes. Ista autem paulo post : at post bullam indictionis proximè Suspensio quarumcunque Indulgentiarum toto Orbe , durante hoc anno universalis Jubilæi (cupientes, verba & ratio suspensionis , ut Christianæ Nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in alma urbe nostra congregentur) publicari. Nisi quod Indulgentia Laurentanæ Domui speciali Bullâ aliâ, cum non minor ibi confluxus quàm Romæ populorum, confirmabatur : & hæc inter, Urbs ad decorem componebatur. Saturnalia interdicta, spectacula, theatra, ludi claudi, indictione Pontificiâ ut sive frontispicia seu fores quarumcunque Ecclesiarum nobiliore imagine sive Sancti, sive Sanctæ, cujus ibi cultus ac dedicatio præfulgerent, noscerentur. Delubra ipsa quæsitissimis decoris, aulæis, ornamentis adsurgerent ; dum interea , Annonæ alii , alii ædilitati seriò prospectare, frumentando, struendo, restaurando, quæ

quâs Roma Orbem Advenam opportunè reficeret, opportune hospitaretur. Igitur vigiliâ Natalis Fores Basilicarum IV Principum (qua ambage puto **VIM LIGANDI SOLVENDIQUE** denotasse) Clausæ, & Clerus Romanus dicam, an omnis Roma? incolæ, exteri, accolæ, diffiti, omnis ætas, omnis sexus in Vaticano, ac per adjacentia ejus turmatim confluitare, concurrere. Convenire circa vesperam Senatus Purpuratus, Episcopi, Oratores, Principes ac comitari Pontificem ad Sacellum Sixti. Ubi accendi, dari, universis singulis Cerei, ipsi quoque Pontifici: mox congeniculati omnes accingi solennibus ad Altaris sanctissimum precibus, quæ in hymnum tandem desinebant, *Veni Creator*. tum Pontifex in sublimi sella gestatoria, ipse sublimi habitu, ac mitra pretiosissima Pontificali præcinctus tempora, per gradus Palatii, ad vicinum templum D. Petri descendere: Legato Chri-

Christianissimi Vestri & Reip. Veneratæ Principibus quoque Ludovisio & Justiniano, adsistentibus, ministrantibus. heic cum benedictione tres dimittebantur Cardinales, qui in Confistorio ultimo Legati fuerunt destinati, ad idem muneris h. e. aperiundæ Portæ sanctæ in Tribus Ecclesiis reliquis Jubilæi stationibus, obeundi. Suggestum Pontificalem cingebant gradus quibus Eminentissimi cæteri considerare. Contignationes quoque duæ subitaneum opus, è regione factæ. quarum altera Gynecæi, & heic, quod rarum per has oras Italiæ, feminas, nymphas, Principes, Duces, Nobiles, Decus gentis, gloriamque sexus videre erat, ac admirari: suggesti feminæ hujus Orchestræ, quasi ejus in meditullio, prominente; unde Pontificalis Affinis OLYMPIA cæteris altior, spectabatur. Altera designata Exteris (quos inter maximarum gentium felicissimi traduces, Illustrissimi Comitibus ZAMOISCIUS ac
DON-

DONHOFFIUS mihi Patronus gratiosus, præfulgebant) cum cura Pontificis, ut eò à Reverendis. ac Illustris. Episcopo de Torofani, Patrono itidem meo observando, propensissimè conduceremur. Jamque Pontifex post nonnullos precum murmurillos pedes adire Portam, percutere (præbente malleum inauratum, ex argento, Archipresbytero Cardinale) murum quò obstructa erat, voce comite: *aperite mihi Portas Justitiæ*, cantoribus respondentibus: *ingressus in eam confitebor Domino*: pulsare iterum hoc effato: *Introibo in domum tuam Domine*: persequente antiph. *adorabo ad templum sanctum tuum*. Cumque tertio ictum mallei iteraverat, inquires: *aperite portas, quoniam Dominus nobiscum est*: choro invicem divinè ista modulante: *qui fecit virtutem in Israël*, reddere malleum Cardinali, & ad sedem revertebatur. Interim bis sex cæmentarii festinatis operis murum Portæ demoliebantur, quo remoto Pontifex

tifex depositâ mitrâ Portam subire, & heic variè succlamare; *Hæc dies est quam fecit Dominus. Beatus populus tuus, hæc est Porta Domini, & quæ sunt talia Tibi conscia: nec adscribo porro Pœnitentiarij hujus Ecclesiæ non illepido ritu antas Portæ hujus sanctæ lymphæ lustrali recolare: donec finito Te Deum hymno Pontifex eâdem sellâ sublatus; Tandem quod solenne ac pompaticum erat, ad strepitum machinarum bellicarum castelli Archangeli, & inter adclamationes, & adplausus ætatis omnis, omnis sexus urbis universæ HOC ADITU Basilicarum omnium, quot sunt, quotque fors erunt, DOMINAM pompaticè, inquam pompaticè ingrederetur. Vix egressus autem cum comitatu, etiam cæmenta omnia portæ hujus sanctæ vanuerant: infinitâ illâ multitudine religionis causâ, sed & lucelli (nam numismata aureâ, argentea, miscentur calci, quâ clauditur) specula, certè insano cum impetu*

B

diri-

diripiente. Ac diei quidem hujus, & quam mox dixi solennitatis, alta apud me vix unquam lababit memoria: sed quid dicam? & papyrus mea impar, & nunc in contrarium institutum magnificentius heic describendæ. Neque miraculi causâ, **ILLUSTRIS-
SIME COMES**, sed jure, opinor, nego, majorem cujuscunque splendorem Aulæ: & postquam in Pontificalibus Roma visa, & ad Portam sanctam, cumque Apotheosis est, nemo heic majora speret, nemo præstoletur. Nisi quod majora tamen, fateor, Roma hoc seculo viderit cum **CRIGUIUS** ac **OS-
SOLINIUS**, Maximorum Regum nostrorum Magni Legati, prodigiosâ pompâ ingressi Urbem: at hæc non Romanorum, sed exterorum spectacula: nec, quod magis est, nunc anni mei. Die Natalis sacra solennia super Altari, quod ab Urbano VIII Tumulo Apostolorum impositum, facta, ipso celebrante Pontifice, quibus

quibus peractis ad Pergulam (intel-
ligo quam *la loggia della Benedittione*
vocant Itali) portabatur, ac Be-
nedictionem numerosissimo populo,
qui in area D. Petri, ab primo crepu-
sculo ad meridiem usque metu (nec
inani) frequentia confluserat, stete-
rat, in forma Jubilei impertiri, re apud
curiosas nondum decisâ, utrum bom-
bi illi, ut sic dicam, tormentorum
Hadrianæ Molis, an plausus ac exul-
tatio tanti populi remotius penetrave-
rint. Inde Vultus, S. Crux Salvatoris
& lancea, quæ sedente Innocentio
VIII Byzantio missa, cum multis
alijs augendæ pietati exhibita, pariter
in ecclesijs reliquis Reliquiæ variæ,
varii pretii, ad D. Joan. Lateranen. pa-
tere abaton fœminis, ubi Arca Fœde-
ris, Virga Moysis, Scipio Aaronis, ali-
aque utili cultu asservantur, & ad se-
ram usque noctem per urbem plausus,
Jubila, & variorum varia veneratio.
Vigilia Circumcisionis vespere can-
tari in sacello Papæ, intervenientibus

Eminentissimis : Et hîc populi Romani Conservatoribus clementiâ Pontificiâ, magistratus prorogabatur. Sed Cathedra Romana D. Petri inter lætiora mihi Romæ festa. tangit Baronius feriam : non tangit talem tum aservatam vel umquam extitisse. quamquam id nec mirer, nec inquiram. Et audio Romæ, inquit Theodorus Studita, Claves etiam Principis Apostolorum Petri in honore & pretio haberi, cùm tamen ei Dominus non ex materia confectas claves dederit, sed eas, quæ ratione orationeque ligant & solvunt ; ipsi verò ex argento confatas proponunt adorandas : quidni (addo ego) eâdem quoque dexterritate ingenii usi, proponerent Cathedram ? Adgnosco verò planè Baglionem heic inter myopes : cui hæc Cathedra lapidea visa, quæ omnino lignea, & cætera ferè, qualis hodieque Pontificum. Illa igitur ad T E D E U M super Altare summum elevabatur incredibili confluxu totâ die
 incli-

inclinantium, venerantium. in Quirinali huic Missa .ac per circos & conventicula non audire, quasi erat fatari populum, quam de Pontificatus origine, amplitudine, incrementis. Hoc tempore Legati Iberi Rodrigus de Mendoza & Princeps Cardinalis filius: (Cardinalis autem filius? imo Cardinalis. nam etiam viduis patet ad purpuram aditus? quid? quod ad Pontificatum quoque exemplo Guidonis Fulcodii, qui uxore mortuâ & liberis superstitibus primò Podiensis, postea Narbonensis Episcopus, tandem Pontifex ac Clemens IV. adpellatus. nec me fugit tamen Bulla Sixti V super Cardinalibus de anno 1588 tertio Nonas Decembris edita, in quâ hæc verba: *Cùm ad honorem adeò sublimem Cardinalatus promovendi omni virtutum & præsertim castimonie laude supra ceteros eminere debeant, qui verò filios aliàs ex uxore sua dignoscitur suscepisse certum nequeat sua testimonium continen-*

ria exhibere &c. quapropter prohibemus ne aliquis, qui utriuslibet sexus filium seu filios legitimos vel nepotem seu nepotes ex eis habeat, ullatenus in Cardinalem assumi aut promoveri possit, ut nunc nostris moribus Dispensatio specialis intervenire necesse sit, ut talis assumatur:) Trivultius heic innotescebat, ad Audientiam Papæ Magnificentissimo adparatu introducti. Ac ille quidem Regis & negotiorum ordinarius in hac Aulâ ex Hispaniâ, adventare: iste Serenissimæ Mariæ Annæ Austriacæ, Regiæ Sponsæ Mediolano missus, & rituum. Enimvero miserat in Insu-
 briam Pontifex Eminentissimum Ludovisium, ut Reginæ transeunti, inque Hispaniam propediem transfretaturæ, Benedictionem Apostolicam ad iter & thalamos regios Paternè annuntiaret: & nunc vice solitâ pietatem, devotionem, & obsequia Regiæ suæ erga Romanam sedem Trivultius solenni legatione istâ adtestabatur.

batur. Vulgabatur quoque inter ista Constitutio, circa statum Regularium in Italiâ & insulis adjacentibus, quâ fecutus Synodi Tridentinæ, Clementis VIII Pauli V. & Urbani novissimi decreta publica; quibus injungitur, ut in singulis Monasteriis, & Domibus Regularibus tantum numerus constituatur, & in posterum conservetur, qui, vel redditibus propriis, vel consuetis eleemosynis, commodè possit sustentari. INNOCENTIUS. X ex plenitudine potestatis, Præcipere ac Mandare omnib. & singulis Generalibus, Commissariis, ac quibuscunque aliis Superioribus Monasterior. Conventuum, Collegiorum, Regularium, Monachorum, cujuscumque ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, Domûs, ut adhibitis duobus vel tribus Regularibus sui ordinis probatoribus bona immobilia, census, redditus ac proventus omnes Monasteriorum, Conventuum, Collegio-

rum, ac *Domuum Regularium* hujusmodi sex annorum immediatè precedentium habità ratione; Item victus, vestitus, ac medicinalium, & quascunque expensas alias, æris quoque alieni, nec non Missarum celebrandarum Fabricæ, Sacristiæ, annuarum præstationum, aliave cujusvis generis onera diligenter ac maturè recognoscerent, eaque omnia, medio juramento, in scripturam redacta, ac consueto Sigillo obfignata, intrâ IV à publicatione menses, destinatæ ad id omne arbitrandum, ampliandum, restringendum, pro re natâ, Congregationi Romanæ Cardinalium quorundam Præsulumque submitterent: imminenti poenâ Privationis, vocis tam activæ, quàm passivæ, nec non officiorum, qui tunc temporis obtinerent, refractariis, subdolis, cunctabundis. Porro interdicere omnibus ac singulis Capitulis, Congregationibus, Locisque omnibus supradictis, ne deinceps quenquam ad habitum

bitum suæ Religionis reciperent, nec jam receptos ad Professionem admitterent, donec scripturæ prædictæ Congregationi Cardinalium ac Prælatorum realiter ac cum effectu exhibitæ, ac ab eadem Congregatione & ad habitum & ad professionem recipiendi licentiam obtinuissent. Ad dito; Receptiones secus factas, non tantum non ipso jure fore nullas: sed & contravenientes sententiam excommunicationis incurfuros, à quâ per alium quàm Romanum Pontificem, nec nisi in mortis articulo constituti, absolvi non possent. Hoc mense acris quoque contentio inter Pontificem ac Proregem Neapolis gliscere. quorum iste cùm aliis, tum Clero regni quoque tributum indixerat: Rege ac rebus sic exigentibus. obniti vi summâ Papa, ac trifulca portendere fulmina, quæ ipso Jure jam incurrerat, nisi desisteret. Cui ille necessitatem, ac exigentiam ecclesiastici hujus sublevamenti pluribus deducebat. ad itinera

Episcoporum, ad procurationem, ad charitativa subsidia, ad alia communia onera, adstringi mutud Clericos: talia nunc esse. nec privatos itus, sed expeditiones publicas, incremento omnium, imminere; extra commercia res esse Deo consecratas: obligari tamen posse. quid? quod alienari, causâ redemptionis captivorum; nec jam Cajum aut Sejum aliquem attineri: sed quâ Thyrrenico mari adluitur, juxta carceres ac compedes esse prope totam Italiam, & quæ ejus argumenti alia. Quæ inter Venetiis pro Cretâ supplicationes ad omnia pulvinaria: & Neapoli aliæ cum sanguine Januarii Archiepiscopi leniendis Vesævi incendiis. Serenissimus Parmæ exartorare quidquid exercitus sui supererat, mutare consilia, aulam, omnia; postquam capitali ultus Gofredum Marchionem, aliosque supplicio, infelicis belli consultores. Dumque ista alibi: Romæ microcosmus, & omnium gentium ac plagarum ferè orbis ad
 statio-

stationes Jubilæi, promiscua & obstupenda heic multitudo. Sanè non Italia regio, non discretorum principatum, sed quanta quanta urbs una videbatur, continuis adventantium, reditantium itineribus multa millia Roma indies recipere: dimittere totidem: & sive hybernæ Alpes, seu æstivæ, idem ferè toto hoc anno sancto heic confluxus. Nec exterorum solummodo: sed (ut prædia, villas, pagos taceam) integrarum Italiæ civitatum; adèd ut Urbes plurimæ extorres penitus, ac viduæ, nec sine suspitione luis peregrinis sæpe visæ: quarum incolæ societate aliquot millium initâ Romam venerant, lucrando Jubilæo. Quâ occasione non omitto adscribere ordinem, quò hujusmodi Societates Urbem ingrediebantur. cùm ad suburbia ventum, qui vario itinere inopes, opulenti, plebeji, nobiles, venerant, certo loco congregari; tumque acies Religionis instruebatur. explicari signa, vexilla, insignia,

Divinæ Virginis, Patronorum, Patronarum simulacra, integræ machinæ. disponi Chori, indumenta (quæ ex telâ albicante, ac formâ sacci prominentis) faces, lampades, reliqua. dumque jam progressi, Societas alia Urbis obviam ire hospiti, in mutuos amplexus utrimque ruere, ac ad publica & spatiosa hospitia huic finidapsiliter instructa, laudabili sanè exemplo, deducere. idque plerumque sub vesperam. manè, processu simili, quatuor Jubilæi Ecclesiis novi hospites accingebantur. idem die proximo, ac sequenti: donec finitis (nam id concessum tandem tribus vicibus lucrari peregrinis intuitu annonæ, & confluxus) Stationibus, Palatium Quirinale aditare, ad Benedictionem Pontificis. atque ita tribus coenis publicis lautè excepti, ac Jubilæo, & mox dictâ Benedictione læti, die postera ad penates, pari pompâ, ac priori cum comitatu, revertebantur. Sed nec præter
rem

rem opinor planè fore, si laciniam laciniæ additurus, nunc tribus verbis de his ipsis quatuor ecclesiis, quas Jubilæi lucrandi causâ isti, & cum illis omnes aditare. Ac initio Bonifacius VIII Jubilæum imperitari qui Limina Apostolorum h. e. Petri & Pauli salutaverant. quâs adjunxit suo tempore Ædem *LATERANENSEM* Clemens VI. donec non Sanctorum adire videretur sufficere limina Bonifacio IX: sed & Sanctæ: superadditâ ecclesiâ *D. MARIÆ MAJORIS*. Ultra verò hæc Basilicarum Jubilæi vocabula vix quidquam ausim progredi: nec exilis sanè crenæ meæ illas heic qualiter qualiter porrò adumbrasse, nec ad Jubilæum. Infamia autem, fateor, quod inquit Tacitus, sunt hodieque Vaticani loca; nec istatenus nisi per parafceves feriasque majores heic degit Pontifex: sed sunt admiranda quoque sunt admiranda, quod fors non

olim , imò exilia priscitus theatra ibi & Volupiæ latebrę , ac Neronis : hodie *APOSTOLORUM PRINCIPISACRAÆDES, IMMENSA MOLES* & cui parem sanè non vidit Orbis , non videbit. Vovit Julius II. Papa , anno , ni fallor , *MDLXVII* jecitque fundamenta : spe magis ac omine futuræ magnitudinis , quàm ut & res modicæ per tot bella ac vastitates , & tempus sufficerent. curam susceperẽ porro successores. sed gloria operis seculo nostro reservata : eâ magnificentiâ à Paulo V. Borgesio dedicatum , quam immensæ postea Romæ opes ornabunt potius , quàm augebunt. Machina inquit , nec male , *Tassonius* , *che contende co'l cielo , guerreggia con l'abisso , con l'altezza sovravanza i monti , con la profondità sotto le vene della terra s'abassa: i cui fondamenti son larghi quanto gli altri tempi son larghi , e profondi quanto le torri de gli altri tempi son alte.* Nimirum

rum Neapoli, Venetiis, Mediolani, Florentiæ, adstupemus alibi modicam amplitudinem, alibi symmetriam ac sumptus operarum: heic ad utrumque mens obnubilat architectis, & heic magnificentiam incomparabilem, & magnitudinem sine pari, prodigiosâ copulâ, omnes omnes admiramur. ac in quantam sub hodierno Pontifice majestatem adoleverit, quid accesserit, hæc ad posteritatem incisa marmori extat ibi testis inscriptio.

B A S I.

BASILICAM
 PRINCIPIS
 APOSTOLORUM
 IN HANC MOLIS
 AMPLITUDINEM
 MULTIPLICI ROMANO-
 RUM PONTIFICUM ÆDI-
 FICATIONE
 PERDUCTAM
 INNOCENTIUS X
 PONT. MAX.
 NOVO CÆLATURÆ OPERE
 ORNATIS SACELLIS.
 INTERJECTIS IN UTRAQ.
 TEMPLI ALA MARMO-
 REIS COLUMNIS
 STRATO E VARIO LAPIDE.
 PAVIMENTO
 MAGNIFICENTIUS
 TERMINAVIT.



Er̄tè rariora cum tempore
 h̄ic erismata, quæ non in-
 signia ostentent Magni Pon-
 tificis: neque adfixa fronti-
 spicio,

spicio, aut Aræ summæ, ut Aquilæ
ac dracones Borghesiorum, Apes-
que Barberinæ, sed toto templo, in-
quam, toto, sublimi remigio vaga,
ac spectabilis *COLUMBA*
PAMPHILIA. Nec heic ta-
men stitère Magni (iterum dico) Or-
nandæ Romæ conceptus Papæ. idem
magnificentiâ simili *ÆDEM AD*
DIV. JOAN. LATERA-
NENSEM verè lateratitiam,
marmoream reddidit. Ut commen-
tatione panegyricâ omnino opus ha-
beret, si id mei nunc instituti, quò
nosceretur curatiùs memoriæ titulus,
qui ibi talis:

INNO-

INNOCENTIUS. X
PONT. MAX.

LATERANENSEM BASILICAM
CONSTANTINI IMPERA-
TORIS RELIGIONE
AC MUNIFICENTIA EX-
TRACTAM
SUMMORUMQUE PONTIFICUM
PIETATE SÆPIUS IN-
STAURATAM
VETUSTATE JAM FATI-
SCENTEM

NOVA MOLITIONE
AD VETEREM EX PARTE
ADHVC STANTEM
CONFORMATA
ORNATU SPLENDIDIORE
RESTITVIT.

ANNO JUBIL. M. DC. L.
PONTIFIC. VI.

HUic Lateranensi ecclesiæ vi-
cina quæ *D. MARIA*
MAIORI Sacra, sed
quæ jam tum pridem in hanc excrevit
solidita-

soliditatem ac ornamenta , per sumptuosissima ac verè Summorum Principum sacella summa Pauli ac Sixti utriusque nomine Quinti Pontificum, & duo alia Sforziorum , Cæsiorumque, ut altiùs adscendere ac eniti admirando illi Urbis exornatori INNOCENTIO hîc vix detur. *D. PAULI* porro *ÆDES* , viâ Ostiensi, fateor, non nisi antiquitate & memoriâ Constantini Cæsaris hætenus commendabilis , ævo fluxa, squallida : nisi quod illa ærumnas suas, ut audiui, nuper ad Pedes quæsta , cum spe dimissa proximæ restauracionis , ac nitoris. Et hæ Stationes ac *Ædes* Urbis sunt , quas Societates Exteræ , unde digressus, ac omnis orbis indulgentiarum anni sancti lucrandarum causa adibant , frequentabant : cujusmodi Societatum , ajo , majorum gentium , ac civitatum ultra mille hoc anno vidit Roma : & adsertione, quibus ævum ac memoria suppetit , nullo alio Sancto pompâ parili ac impensis.

pensis. Ego in viam redeo : &
 KL. Febr. prodire Bulla de non
 contrahendo in favorem Forensium
 super bonis stabilibus , in statu ec-
 clesiastico consistentibus. quâ con-
 firmabat , declarabat , extendebat
 Apostolicus quidquid super hoc ar-
 gumento Sixtus V, Clemens VIII,
 Paulus V ac Urbanus VIII Con-
 stitutionibus suis edixerant. annihila-
 bat præterea contractus hujusmodi ,
 qui non nisi cum reservatione Bene-
 placiti Apostolici vel istâ clausulâ, qua-
 tenus non obstant Constitutiones A-
 postolicæ , speciali præscientiâ ac li-
 centiâ Pontificiâ non antegressâ ut
 par erat , initi. Adhæc cum æquè
 præjudiciale Romanæ Sedi , ejusque
 subditis esse comprobaretur super
 Casalibus (non mea sed *INNOCENTII*
II verba sunt, & cujus ,
 amabò seculi ? certè nostri , non
 Tulliani.) & Tenuatis ac Pedicis
 prope Urbem existentibus in favo-
 rem Forensium quomodolibet con-
 trahi ,

trahi, propterea Constitutiones prædictas etiam ad quæcumque Casalìa seu Tenutas ac Pedicas sive jurisdictionalia, sive non jurisdictionalia, ultra quatuor ab eadem urbe milliaria consistentia, ampliabat, extendebatque. Et si quod Casale vel Tenuta aut Pedica partim ultra & partim intra quatuor milliaria cujuscunque quantitatis, sive sit principalis, sive accessoria alterius partis infra quatuor milliaria existentis, sub prædictis Constitutionibus Apostolicis declaratis & extensis *INFUTURUM DEBERE COMPREHENDI*. Quæ dum legis, fallor, *ILLUSTRISIME DOMINE*, an jam in mentem venit contractus hujusmodi, diu ante hanc legem latam, à Barberinis initi cum *LEGATO HETRURIÆ*? Scilicet quæ in Conclavi novissimo acta nosti: Unde his origo. quæ non ab Ostiâ, sed

sed Româ, tempestas imminebat. quæ æterni in hos odii series ; & tetigi nuper pluribus , nec nunc itero. VIII. ac V. KL. Martii spectare erat paratus festos, amabiles machinas, thesauros sacros, inventa mille, audire disertissima acroamata, concentus entheos, divinas voces ad D. Laurentium Damascenum, in Vaticanâ, Lateranensi, ad D. Mariam Majorem, ac in Ecclesia Societatis Jesu, occasione Orationum solennium, quæ à durationis suæ tempore Quadraginta Horarum adpellantur. Patres tamen Societatis Jesu non hîc, ut nec alibi, etsi illorum vocabulo, *TALES QUÆLES* (ita quidpe ab Universitate apud vos Parisiis aliquoties interrogatos, Secularesne an Regulares essent respondisse nosti.) nec modico aut *TALI QUALI* adparatu, at nec damnofo tamen, sed verè pulcro, verè nobili ac magnifico heic præfulgere. Templum Salomonis in ecclesia, Nominis *J E S U*,
repræ-

repræsentaverant. machinas adspetus apud imperitos mirabilis, apud omnes celebrati. quicumque in illis hinc inde eleganti prospectu popæ, vel succincti poparum habitu occurrebant, circa sacrificia adornanda variè videbantur occupati. juxta Altare Sacerdos summus, & Salomo. ac desuper inter cœlum & solum media **SALUTARIS HOSTIA**, ciborio venerabili, admirabili. Ecclesiæ fores, valvæ fenestræque omnes velatæ, obturatæ, augendæ majestati, nec lux aut lampas inibi, nec in hoc adumbrato Templo Salomonis, & tota machina occulto oleo fulgurare. aded ut repercussione celati ignis infinitarum lampadum agitari videretur Templum, non subsistere, ac cœlum, terra & vicina quælibet circumcirca tremiscere ac nutare ubi **SANCTISSIMUM**. Quid de panegyricis sacris dicam, quorum aliquot isto die juxta Templum istud audiui recitari? memini, & cum
admi-

admiratione humanæ facundiæ semper recordabor, disertissimæ cujusdam verborum paraphraseos ; *E CCE PANIS ANGELO- RUM* : ut multa alia hujus dignationis nunc præteream. Nec præcone opus erat, ut hîc Urbs spectatum conflueret : ipse Pontifex venit adoratum : & communi suffragio inter nobiliores actus anni Sancti res relata. Die Consistorii, qui erat XVIII. KL. Aprilis creari Hispanus in Cardinalem Antonius d' Aragona. Galerum rubrum Belvidino Cubiculario ac Canonico Lateranensi in Hispaniam deferente. Quam electionem indignè non pauci ferebant vestratium, quasi præjudicium hoc ipso factum *CHRISTIANISSIMO* : verùm (illorum pace dixero, & ipsi facti) malè. quidpe non ad purpuram novum quendam adsciverat, ut putabatur : sed quem Anno *MDLXXVIII* mense Septembr. die electionis, in pectore (ita loquuntur) reservaverat, hoc tempore

tempore primùm publicare. De sacellis ubi Cerei, palmæ, cineres, manu Pontificis distribuuntur, non attingo. Non: quia anniversaria, conscia, obvia, nec splendoris majoris quidquam foenerata à Jubilæo. Nec illustrem eloquentiam memoro, quâ ex omni Italia evocata hoc tempore Quadragesimali Romana pulpita ampullabantur. nonnulli Eminentissimorum ex throno, (qualis rhetorum Græciæ Aristophani,) ad Orchestram purpuratam, ac anabathra, subsellia virorum, foeminarum, principum, procerum, populi, hebdomatim in Sacello D. Marcelli verba facere, Purpurati Chrystomi. in Quirinali apud Pontificem divinæ facundiæ aliæ: ac inter tot ac tanta vigilata meletemata, & acroases, nemini, quod puto Rostorum desiderium, nemo Athenis Demadem aut Demosthenem invidere. Hujus circa initium Quadragesimæ, Illustrissimus ac Reverendissimus Nicolaus Albertus Gniewosz ab Olezcow.

Episcopus Vladislaviensis & Pome-
 ranæ, tumque Potentissimi Polonia-
 rum & Sueciæ Regis, Domini mei
 Clementissimi, ad Cæsarem, Remp.
 Venetam, Magnum Ducem Hetru-
 riæ, & Mantuanum Legatus, Floren-
 tiam revertebatur. Cujus tempus
 omne quod heic inter sacra exegit
 duorum mensium, ac cum primis so-
 lennis Octava illa sua Visitationum se-
 ptem ecclesiarum Urbis, ac incom-
 parabilium Eleemosynarum hodieque
 celebratissima in memoriâ perstat Ro-
 mæ, quidquid ille, dum hæc scribo,
 pridem abierit. Nimirum eâ piâ ac
 planè inauditâ erat prodigalitate in
 pauperes Regius hic Legatus: ut ne-
 minis ferè curatius, quàm ejus ad cuba-
 ret palatium, neminis oculatius specu-
 laretur in publicum exitus omnis Ege-
 stas Urbis: neque noscebatur sanè
 per illam aliter Magnum GNIE-
 VOSCI Nomen, quàm sacræ ma-
 gnificentix, ac bonitatis. Præterea
 Eidibus Martiis Serenissimi Principes
 Hetru-

Hetruriæ Matthias ac Leopoldus adventare. prætextus, qui heic frequens, & quo omnis ambitus ac negotia seculi absconduntur, *VISITARE LIMINA* & nunc Stationes Universalis Jubilæi : sed causa, ut quod sequestrum in causâ Barberinorum & Legati Magni Ducis Camera Apostolica adtinuerat, apud Pontificem opportunè deprecarentur. simul rima-
rentur curatius institutum Hispanæ Classis, quæ Neapoli adornari occulto ac suspecto consilio. nam metus erat super Ligurno hostilia fortè tentatum iri : quâ gratiâ illi convenire frequenter, Palatii Pontificii hospites, cum Legato Catholico, pacisci-
que. Per idem tempus res rituum, hætenus ambigui usus, decidebatur. Legato Hispaniarum per plateam fortè obviam venerat Filius Ducis Bassanelli : qui Legatum salutaverat, sed Curru non sistente, ut moris erat, & juris esse putabatur. id quod ille indignari, & Græcostasis interpretando

accendere : donec Eminentissimus
 Queva partes suas nomine *Congrega-*
tionis Rituum interponeret : non astringi
Romanam Nobilitatem Legatis sistere,
rem spontanea esse reverentia, nullam O-
ratori factam injuriam. Sequitur Heb-
 domas Sancta, quæ, ut tribus absolvam
 verbis, inter supplicationes numero-
 sissimas sumtuosissimasque transige-
 batur : ac frequentiam quidem immensi
 populi, qui, processu solito, ad Ad-
 orationem Vultus Sancti in Basilicam
 Petrinam itare, diurnæ nocturnæque
 vices consumi, nec discerni. Quot in
 urbe tribus negotiantium, opificum,
 congregationes nobiles, conventus
 ecclesiastici : totidem discretæ ad Pe-
 trinam Basilicam supplicationes. vidi,
 inter alias, admirabundus illam quæ
 Peregrinorum Hospitalis ad S. S. Tri-
 nitatem dicebatur : & qui computum
 inière ultra *xxiic* referunt con-
 stituisse. Ordo ferè idem, quem supra
 tetigi, cum ad Urbem Societates ex-
 terorum : nisi quod istis, multò noctis,
 à tene-

à tenebris splendor major, quæ infinitis cereis sumptuosissimè discutiebantur. præportari machinæ non fictæ, non pictæ: sed utrumque pulcræ, vastæ, magnificæ: quibus cruciatus Redemptoris, dolores Divinæ Genetricis, mysteria pietatis, gloria Martyrum, Limbus Patrum, aliaque ingeniosè exhibebantur. Intervenire vestitu, ac squallore pœnitentium, Eminentissimi, Oratores, Principes, Præfules. plerique ponderosis in speciem crucibus. inseri Chori hominum dicam, vel Angelici? denique lentè incedere flagellantes, velato capite, pectus pedesque nudi, stillante nonnunquam invito sanguine, cruenti omnia tergo, scapulis, manibus. cujus farinae ultra c I 3 aliquoties una serie ac die vidi numerari & nonnullos horum, verè pati deliquium, quosdam simulare, ac per Monachos quibus à cucullo nomen est, firmari, refocillari: dispositis ad id bajulis, qui cum cadis ac solantibus miscebantur.

C 3

Illud

*Monachum quem Salubris
S. Anna*

Illud certum ; signavisse nonnunquam cruorem manè , quò noctu in-
 cesserant [¶] mercenarii martyres : &
 quidquid coner ut dignè tradam , in-
 fra omnino tamen spectaculi magnitu-
 dinem me subsistere. FERIA III. Pon-
 tificis Xenodochium Sixti , virtutum
 Christianarum officinam , & quod
 Prytaneum Christianitatis , elogio me-
 rito adpellares , ex more invisere . Ibi
 Peregrinis notis ignotisque noscique
 nolentibus (nam viros principes , ma-
 gnates , alios compertum est adfuisse ,
 indicio eleemosynarum , quæ civilem
 excedebant modum . ac tunc ita adlu-
 bebat esse Incognitis . quibusdam ma-
 jorum meritorum , aliis minorum im-
 pensarum intuitu) universis singulis
 Altorem , Patrem se offerre . multis
 ac promiscuè provolutus lavare pe-
 des , lavatosque (quod vidi , scribo)
 osculari . cùm cibabantur adstare men-
 sæ , benedicere , ministrare , & heic
 quilibet accumbentium catillum , pa-
 teramque suam pio ambitu turmatim

¶ Non conducta (ut Papæ
 nonis, de sensu est) hic
 mens, sed a pio in cath.

Papæ porrigere, quilibet invocare; nec quanto quanto illo cœnaculo nisi infiniti strepitus & hæc vel millies millies repetita *Beatissimo, Beatissimo*, exaudiebantur. Quas submittendi vices pariter egregiè explere Cardinales, Principes, proceres: ac circa sexum suum Excellentissimæ Fœminæ, & has inter Pontificalis Olympia, discretis conclavibus. Feria IV. qui dies sacer & Jovis dicitur, Papa spiritua-lem (*ejus verba refero & sunt Edicti*) ecclesiastica disciplina gladium & salutaria justitia arma per ministerium summi Apostolatus solenniter more anniversario exercebat: interdictum puto, & ita hoc describit ille, quod nunc Excommunicatio (*La Scommunica*) dicitur. in initio sacra solennia in Vaticano. ejus in Paulino Sacello. Redemptori Monumentum adparenti pompâ. transire Papa, & ad pergulam solennem, quam supra quoque tetigi, pergere. Ibi Eminentissimus. Maildachini legere coram Pontifice, spe-

ctatore ex arêâ D. Petri immenso populo, Literas Processus, quæ diei Cœnæ Domini cognominantur: quibus ex parte (iterum literarum verba pono) Dei Omnip. P. F. & S. S. & auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Suâ I. Quoscumque Hussitas, Wecklephistas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios aliosque Hæreticos Schismaticos, horundemque libros foventes, legentes, imprimen- res. II. Adpellantes à S. Pontifice ad futurum Concilium, eorundemque fautores. III. Pyratas præcipuè discurrentes mare à monte Argentario, usque ad Terracinam. IV. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona & in littoribus inventa surripientes. V. Imponentes nova pedagia, & gabellas. VI. Falsificatores literarum Apostolicarum, aut supplicationes à quocumque auctoritatem habente signatas, falsoque publicantes literas Apostolicas. VII. Defe-
rentes

rentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad reip. Christianæ statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum nunciantes. VIII. Impedientes eos, qui victualia & alia necessaria Romam convehunt. IX. Ad Sedem Apost. venientes, vel ab eadem recedentes suâ aut aliorum operâ lædentes. X. Romipetas ac Peregrinos, & in Urbe morantes, vel abeuntes, lædentes. XI. Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos. XII. ad Rom. Cur. pro negotiis suis recurrentes per se vel per alios lædentes. XIII. Appellantes à gravamine vel futura executione literarum Apostolicarum ad laicam potestatem. XIV. Executionem literarum Apostolicarum aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes. XV. Iudices Seculares, qui ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia, quique ecclesiasticam liberta-

tem tollunt, aut in aliquo perturbant. XVI. Impedientes Prælatos ne suâ jurisdictione utantur, quique illorum & delegatorum judicia eludentes ad Cur. Secularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilia. XVII. Usurpantes Sedis Apost. & quarumcumque ecclesiarum jurisdictiones vel etiam fructus sequestrantes. XVIII. Imponentes decimas & alia onera personis ecclesiasticis, ecclesiis, monasteriis, aut eorum fructibus. XIX. Judices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra ecclesiasticas personas. XX. Occupantes bona aut terras Romanæ Ecclesiæ & illius jurisdictionem usurpantes: Hos inquam *INNOCENTIUS X.* ex parte & autoritate supra-dicta *7 A M ANATHEMATIZABAT EXCOMMUNICABATQUE.* Simulque finierat Eminentissimus Maildachini dictas Literas: simul Pontifex accensum
 cereum

cereum ex alto aream D. Petri versus, projicere : hoc intellectu : ut de cereo illo projecto actum ; ita quoque esse de Hæreticis, ac jam dictis prævaricatoribus universis singulis : quippe qui hoc ipso extra ecclesiæ gremium positi, & juxta animarum discrimina. Mox à diris quasi reversus ad mitiora, Benedictionem Apostolicam numerosissimo populo impertiebatur. Inde Castellum Archangeli ingenti machinarum majorum præsidiique igne, augendæ rei ac diei majestati, collucebat. hinc in Vaticanum revertebatur : ac in aula Ducum XII pauperibus, augustissimam Dei in terris coenam, & quæ illam insecuta, nemini credita nisi divini scriptores adscripsissent, adumbrantibus, antiquo ritu prosternebatur, ac idem heic obire, quod jam intelligis, & supra dixi (etsi majore nunc omnia cum sumptu ac splendore) de pedibus. Largiri porrò varia: numismata, indumenta, benedicere, amplexari. nondum omnia. excipere

quoque prandio publico, ipso vices Architriclini sustinente. ipse erectus adstare adcumbentibus, obire, prospicere omnia, omnibus ministrare cibum, potumque miscellulis, & quos ad spectus tanti hospitis magis sanè, quàm dapes regiæ alumabantur. Aderat qui juxta mensam, ex suggestu modico, interea temporis, de Hospitalitate verba magnifica fundebat ad spectatores; Pontificem sistens in exemplum: desinente in vota alloquio, ut sub Liliis, ac Columbâ diu Ecclesia. Vesperi Galliarum & Hispaniæ Legati, consuetudine anniversariâ, divisis itineribus adorando Vultui Sancto ad Basilicam Petrinam quæsitissimo cum comitatu paratuque accingebantur. inter Gallos Catalani, ac Lusitani, quod non levi invidiæ. Hispani conduxerant plurimos ex plebe urbis, æmulatione veteri, supplendæ suorum inopiæ. strepitu quoque compedum, & catenis, quibus invicem flagellorum, pungente sanè ambi-

ambitione, utebantur, conspicui. Accidit, ut, quidquid ita diverso venerant, circa pontem tamen Hadriani ex parte fortè jungerentur. Ibi, ex errore, Hispanis metus, quasi Galli facturi impetum: ex metu mox turpis fuga, ac confusio. inde per Urbem, ut amat fieri, jurgia, scommata, ac cachinni. Feria V. quieti sacra: etsi supplicationes ad D. Petrum non omittebantur: in Ecclesiasterio Pontificio Missa: ac in Camerâ hoc die vox est, non sedere Pontificem supra sedes, sed scabella: nec hoc die colloqui inter se Purpuratos finito officio. Inter supplicationes hujus diei Spectatissima Patrum Ædis D. Mariæ transpontinæ (*del mortorio di Christo dicta*) ad Petrinam. per omnes ecclesias infinita monstrari, & ad D. Andream *delle Fratte* ad D. D. Augustinum, ac Quiricam, Monumenta egregia Mortis Domitori posita: sed quæ ego non nunc latius. Ac dies denique parasceves celebris baptisinate

quorundam Hebræorum : nox illu-
 strior. Enimverò Societas Resurre-
 ctionis Hispanorum in Foro Agonali
 præclara quædam ediderat. Machi-
 næ erant duæ triumphales Iberâ magni-
 ficentiâ, formâ priscâ, & qualis tem-
 pli quadrifrontis Jani, heic hodieque
 Romæ. Ultra C. palmos tabulata ad-
 surgere : inde ovali incurvari flexu,
 sensim camura, donec præcincta quasi
 diademate regio, veluti fibulâ, ab-
 solvebantur. Columnæ ordinis Itali-
 cæ compositi striatæ, pulchræ, splen-
 didæ. Stylobatarum quidam myste-
 riosi, ac venusti, quidam indolis Ibe-
 ræ indices h. e. fastuosi inscriptioni-
 bus, ac figuris. epystilia ac reliqua
 columnarum infera, supera, sparsa
 floribus : præfulgente Zophoro, per
 insignia INNOCENTII A C
 PHILIPPI. ac veluti quadrifari-
 am, ut jam opinor, patet, patebat
 quidquid hujus erat gemellæ machinæ
 nobilissimæ ita sui cuilibet frontispicio
 nobiliores, coronario luxu, encarpi, ac
 inter

inter acroteria sua lemmata, ornamenta coronicum, nec pigebit adscribere. è regione Palatii Pamphiliorum: SOLI JUSTITIÆ IN OCCASU RENASCENTI ET NOVUM IMMORTALITATIS DIEM APERIENTI PIETAS HISPANA P. à læva: EX AGONE MORTIS REDUCEM CHRISTUM MERITO TRIUMPHALI POMPA EXCIPIIT AGONALE FORUM: UT UBI CERTAVIT SUPERSTITIO, IBI TRIUMPHET PIETAS. à fronte templi: IBERICÆ LÆTITIÆ POMPA GEMINA UTRUMQUE ORBEM SCEPTRI UNIVS FELICITATE CHRISTIANA FIDE COLLUSTRATUM AD FESTOS DIES CIET CHRISTUM REDIVIVUM. denique à parte altera: NOX HÆC SOLIS ÆTER.

ÆTERNI TERRESTRI-
 BUS NON MINUS QUAM
 COELESTIBUS LUMI-
 NIBUS NITET CLARI-
 OR ÆGYPTIA NOCTE.
 QUO SANCTIOR DA-
 BAT ILLA DIEM, HÆC
 DEUM. hujus in machinæ medio
 Tumulus erat octangulus, Unde Re-
 demptor à mortuis redux, humanâ fi-
 gurâ major, quasi prodibat: circa ur-
 nam labara quatuor verbis totidem
 SERVATORI, VICTORI,
 TRIUMPHATORI PACI-
 FICO. & heic circumcirca, Hie-
 rarchia amabilissimè adumbrata. Idem
 in Machinâ alterâ huic oppositâ: hoc
 mutatu in medio venerabili formâ
 VIRGOMATER quasi gaudii
 anxia, ac festinanter ad amplexus ob-
 versa FILII CREATORIS.
 præferre tymbus (nam & genitrix in
 funere Nati videbatur quasi tumulata)
 trabalibus literis: ALLELUJA
 REGINA COELI LÆTA-
 RE,

RE, ALLELUJA. nec inscriptiones de immenso igne falsæ, quæ supra porticibus (circus quippe omnis cancellis certis inclusus erat, ac firmatus excubiis) legebantur : O VERE BEATA NOX TANTIS IRRADIATA FULGORIBUS, LÆTETUR MATER ECCLESIA TANTIS ADMIRANDA LUMINIBUS. nam ita res est. & Agonale forum omne collucebat, ac resplendere mirificè immensi sumptus. perche, dicente Moneta, sendo Sbarrata tutta la piazza da capo à piedi, con travi alti, quali formavano archi 116 col suo frontespicio similmente di travi, posavano sul piano dell' Archi sudetti 5. Laternoni per ciascheduno colorati, & 4 altri per ogni parte del frontespicio che ascendevano al numero di 13 essendovi in cima nel mezzo una padella di mistura, & trà un Arco è l'altro la punta del trave sosteneva un altro Lanternone; che tutti questi lumi ascendevano al numero di 1600 in circa.

di

*di più ciascheduno di quiei due Archi accennati in conclusione nelle di lui cornici, base capitelli, fogliami, cartucci, festoni, sporsi, ed altri membra tutte messa à oro vedevasi tutto adobbato con più di mille è quattrocento lampadini; Quæ universa singula medio noctis accendebantur. Jamque approximante diluculo prohibat ex Æde conterminâ, D. JACOBI, ordine, qui hujusmodi processibus sacer est, immensa turba, omnis Natio, (quæ tunc Romæ) Hispaniarum: præportabatur simulacrum divinæ Matris vestitu Hispanico. mox post illam ab Episcopo Salutaris Hostia sub uranisco. quem immediatè sequebatur Legatus Catholicus, Primates illius regni, Nobilitas, plebs promiscua. Ita progressi, omnes accensis cereis, circumgyrare forum illud agonale, & quas hæctenus descripsi sumptuosissimas machinas. nisi quod horulæ fors mora interjecta juxta aram, quæ illas inter machinas quasi media, ubi exponebatur S A N-
 C T I S S I.*

CTISSIMUM, donec ad idem
D. Jacobi templum revertebantur.
Ubi Orationes solennes illæ quadra-
ginta horarum inchoari, quarum quasi
indictioni ac solennitati omnis pompa
ista fuerat destinata, & omiserant
Hispani ab aliquot annis hujusmodi
majorum impensarum solennia, ut
hoc anno sancto magnificentius (&
fecere profectò) restaurarent. Die
Paschali Missam ad D. Petrum cele-
brabat Papa: quam mox insequi Be-
nedictio. Reliquiarum ibi ac per
urbem varia ostentatio, gemina ma-
chinarum bellicarum Castelli Archangeli,
altera sub crepusculum, altera
post jam dictam Benedictionem ex-
plosio: omnia annua, ordinaria. Et
qui hunc mensem excipiebat Majus
quasi feria ac quies erat à tot tantisque,
quorum nonnisi aliquot memoravi,
Aprilis pensis arduis, supplicationi-
bus indefinentibus, curis, agitatio-
nibus, actionibus, motibus? Hujus
circa finem Maji vix reversus eram
Neapoli

Neapoli (quò tunc profectus simul admirandorum causâ quæ de sanguine Januarii Archiepiscopi Neapolitani, cujus tum KL. Maji imminebat feria, circumferuntur, simul spectatum urbem ejusque adjacentia, per historias ac hodierna rudera, vestigia, monumenta, superba illa & tot seculorum felicissima spolia, celiberrima ac grata loca) cùm, quem ibi Neapoli ac Cajetę lustrari videram Hispanum exercitum X. vel XII c I 3 colluviem in se ignotam ignorantemque, ac vero verbo, utriusque Siciliæ excrementa jam cum classe CXL navium Ilvam maris Thyrrenici Insulam approximassem vario animorum motu per Romam nuntiabatur. Sæpe miratus sum Neapoli hanc fabam cudi, ibi tota hyeme hos collectos lixas ac degisse, ibi actitata omnia ac adornata quæ in rem essent magnæ expeditioni: neque tamen quenquam penetrare, nec inante penetrasse quò hæc vergerent. Omnes divinare variè, suspicari: plerique

rique præter rem, nemo scire. neque plebis ulla vox, sed attoniti vultus, & conversæ ad omnia aures, non tumultus, non quies, quale, quod ait Doctor meus, magni metus, & magnæ iræ silentium est. Neque enim hodieque, crede mihi, ILLUSTRISIME COMES, desit amare vestra Parthenope Lilia: & seditionis metu, de Catalonia, Hetruria, Flandria, quasi illis sive recuperandæ seu oppugnandæ, vel juvandæ, Classis illa destinata, utili astutiâ spargebatur. donec Plombini & Portus Longi obsidium, ut dixi, plenius innotescere. Ibi acria Iberis oppugnationis initia, quam fluxam, levem, brevem Joannes Princeps Austriacus (is est Philippi IV. ex Calderoniâ, theatricâ sceminâ, filius, dicente Siri) & Comes Ognatensis, prorex Neapolitanus, copiarum Dux, & Optio fuerant ominati. Nisi quod suspensa nimis Urbs Plombinum inter obtinendi, cedendique consilia, à
Comite

Comite Conversano morarum conditionumque porrò pertæso , apertâ vi mox expugnata , pars incensa , omnis expilata : castellum itidem pauld pòst deditione occupatum : dimissis Monachium Præsidiariis , ac festinatis duabus triremibus quâs Captivorum ad c. c. impositi mittebantur Neapolin. Ita tunc blandiri initia : sed non idem jamjam successus circa molem principem Portus Longi , & in tempore memorabo. Principes autem Italiæ sive apertè , sive per occulta & magis fida inclinabant in Hispanos. Insubria , utraque Sicilia , Hetruria , Patrimonium D. Petri , aliique status suppeditare , succurrere , animare. Florentia cum primis annonæ destinata , etiam Roma : & , quod magis , raptabantur heic ab Hispanis per plateas , prout quemlibet fors obtulerat , nullo discrimine , religionis causâ advenerant , palabundi , an ex plebe advenæ , utrum incolæ , ad castra Portus Longi adigendi , supplendis faucibus

ciis vel qui fuerant : & horum nec nescio Pontifice, & connivente. in tantum ut increbrescentibus interdum noctuque hujusmodi raptibus, plebes tandem publicè inquires, obversa in raptores, ferire, persequi, tumultuari : & nisi Legatus Hispaniæ dato à Pontifice præsidio defensus foret, sacrum etiam inter exterarum gentium legatorum jus, intra ipsa patriæ mœnia plebeja rabies usque in exitum iterum heic temerasset. Jucundo verò ac utili dolo è Gallis quosdam usos, compertum est personam Hispanorum induisse, ac duobus vel tribus verbis Castiliæ formidabiles, ac disertos traxisse hinc inde per urbem vagos obtorto collo plebeculam, nec nisi spoliatos quosdam, alios planè nudos, acri sanè lytro, dimisisse : Omnia acuendo plebis Romanæ odio in Hispanos. Sed isti in animis Principum validi, annonâ, milite & rebus afflictis obsessorum cum primis freti : at quibus amabò, ILLUSTRIS-
SIME

SIME COMES , vestrates Gal-
 li? imò Vobis domi malum, restur-
 batae, bella civilia, atroces motus, un-
 de obsessis spes nulla suppetiarum, &
 Nationi omni per aulas, & hic Romæ
 odiorum nomen. Apud Legatos utri-
 usque gentis Gallæ ac Iberæ his tem-
 poribus congregationes frequentes in-
 ter deditiois armorumque consilia:
 ex quarum unâ apud Legatum Chri-
 stianissimi vestri habitâ, circa vespe-
 ram aliquando Eminentissimo Barbe-
 rino revertenti, non levis incussus me-
 tus, prorumpente nonnullis cum ap-
 paritoribus Præfecto vigilum, qui
 Currum quo vehebatur Eminentissi-
 mus, jubebat attineri, in manda-
 tis habere dicens, inquirere omnia
 armorum suspicione, quibus fors ter-
 reri, ac fugari possent Hispani ab
 obsidione Portus Longi: tum Car-
 dinalis, auctorem acris hujus scomma-
 tis & injuriæ facilè subodoratus, piè
 sanè & ad rem: sibi arma nulla alia
 esse, quàm ista quæ tunc in manu
 (osten-

(ostendens Coronam precum) idque debere referre, qui miserat. Hæc acria: sed atrocia erant quæ hoc mense Junio Genevâ, quæ Liguriæ est metropolis, afferebantur, impendisse ruinam ejus Senatui, ipsique reipublicæ convulsionem, nefando perduelle ac proditore patritio Stephano Raggio. hunc, constituto apud nefarium animum privatas simultates exitio publico vindicare, supposuisse Curix pulverem tormentarium, quod coactus aliquando ibi Senatus absumeretur; sed detectam, felicitate publicâ, proditorem, presum proditorem, manus pedesque vinctum, in carcere ex levi vulnere quod sibimet ipsi per compedes ac catenas impotenter cultello inflixerat, infelicem animam exhalasse. Addito, repertam apud illum occultatam Clavem Portæ cujusdam Genevensis: non obscuro conspirationis, sive cum Hispanis seu Principe Monacensi inditio. nihilominus exanime cadaver totâ die in

execrationem suffixum patibulo, ac destructum palatium funditus, quod habitaverat, positâ ibi columnâ istis verbis:

STEPHANI RAGGII
 CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS CONVICTI
 ILLATA SIBI MORTE
 SCELERUMQ. CONSCII
 CADAVERE
 FURCA SUSPENSO
 FILIIS EXPULSIS ET NOBILITATE PRIVATIS
 BONIS PUBLICATIS
 SCELERATISSIMI ET TEMERARII HOMINIS
 MEMORIA PERPET.
 DAMNATA.



Nterea Finis Junii Pandiculares ferias apud nos Romæ D. PETRI adtulerat. Pridie illarum Senatus purpu-

purpuratus in Vaticano congregari: & hinc deducere Pontificem in ædem jam dicti *APOSTOLI* vespas solennes, magnarum feriarum parasceven, cantaturi. Quibus finitis factò ad dimensum gressu, ut heic moris, ingrediebatur templum idem Legatus Catholicus, Dux Infantadi, ac Pontifici ab ara reduci & sublimi sella Pontificiâ ac triplici diademate (*ip* Regno vocant) infulaque summâ conspicuo, verè animato per tot tantasque gemmas fulmini, fulguri, flexo poplite, Asturconem quem annuatim pendet, certo cum canone rex Hispaniæ respectu utriusque Siciliæ, vasallus Ecclesiæ, sistebat, offerebat. Quantis impensis verò quantoque splendore Orator Princeps hanc equestrem deductionem instruxerat, adornaverat, res est paginarum, non lineolæ: sed fecit profectò, fecit si quæcumque alia ad splendorem ANNI JUBILÆI; & judicent alii, ego ferè firmarem supra omnem Trans-

vectionem veterem (de pompa lo-
quor. scio numero superasse) Hispanum hunc equitatum. Neque heic levi mutatu exaudiendus erat Satyricus :

Nimum sibi consul

Ne placeat, curru servus portatur eodem:
nam non nisi unius hic subsellii, diverbio veteri, Lacones, non hic sanguis vehebatur nisi unus, isque supra plebem, & quo gloriarentur honorati illi XIV. gradus antiquæ urbis. Dabat processui publico ex ordia Hispana Nobilitas, quæ tunc Romæ, vel quæ ejus census ex Legati Domesticis. sequebantur longâ ac venustâ serie quos Eminentissimi, aliique principes, oratores ac magnates, honoris cultusque causâ, submiserant : Omnes nobilissimis equis vecti ; mox Excellentissimi Principes Ludovisus, Justinianus, Adfines Pontificis, ac ille occultarum partium, sed credo ex animo Gallicarum, Princeps Gallicanus. hinc China (Italâ & suetâ utar voce) ad manum ab equestri alio cærulea

rulea ac lætâ induto veste deducebatur : hæc China , interpretatione veteris Latii , Asturca dicitur : & , passivo magis vocabulo , tolutarius equus est. Nimirum pactus Clemens VI cum regnum Neapolitanum Carolo Andegavensi , Provinciæ Comiti , fratri D. Ludovici in feudum permetteret , ut talis annuatim Sedi Romanæ cum canone $xlclo$ ducatorum exhiberetur. Auferebatur verò verè cultu hic Asturco , ipseque quod de puellis canit Sulmonensis , pars minima factus erat sui , tot baltheis , cristis , jubis , frontali , pectorali , peripetasmate , cingulis , floribus , omnia argenteis & quæ talium intelligentes ab arte cum primis æstimare , tectus præreptusque spectantibus. Neque armi ejus nisi parum patebant per crumenam auro multo intextam , à collo pendulam , quâ deferre Pontifici jam dictum canonem , deductionis scopus , indigitabatur. Hunc è vestigio sequebatur ipse

Orator Princeps, equo vectus, ipseque vestitu supra dictionem omnem fulgido, nobili. præcedere, sequi, turba non parva, quam alit, pedissequorum. Stipare, adesse Ephebi, sanguis melior: omnes vestibus holsericis, cristis cæruleis, manicisque argento sparsis soleisque calceorum quâ prominent, imitatione veteri, argento obductis, æquales, splendidi, æstimandi. Demum currus infiniti Cardinalium, Legati (& hujus cum primis duos, thesas deorum rectiùs dicerem, quàm currus hominum. omnia auro argentoque tectos) aliorumque Principum sequebantur claudébantque illustre agmen: tantâ per vias ac Cursum quâ transibant utriusque sexus incolarumque advenarumque multitudine, ut sufflaminare capistra spumantia, ac subsistere sæpe cogerentur. Caballo pontem Monumenti Hadriani, quod nunc castellum Archangeli dicitur; transeunte, tormenta solita sua Munimentum illud magno

magno cum fragore explodere : Unde ad crebriores gyros , hinnitus , saltus , strepitus , fugasque leves amabilesque ; equi reliqui majori quasi poppysmate , certè grato ac læto spectaculo excitabantur. Ad D. Petrum festinanter omnes descendere, adesse, inclinari Oratori : ac cum Asturcone templam ingredientem ordine , quod per immensum dabatur confluxum populi , comitabantur. Ibi quod jam dixi , fungi munus coram Pontifice Hispaniarum Regis nomine hic Orator : simul submissè inquam , simul pompaticè adloqui : sistere humillimè qui ponè sequebatur Asturconem, iterare sacrum obedientiæ ac fidelitatis, adprecari Cathedræ incrementa, adclamare vitam & felicitatem Pontifici : qui nec ore vicario respondebat Oratori, ipse Latinè prolocutus : & juvabit, scio, utriusque verba solennia seorsim inspexisse & spes est ut ab illustri Viro Cassiano à Puteis, Equite, amico nostro, nanciscamur. Qui-

bus de magnificentiâ spectaculi dictis, quid de multitudine addam spectatorum? Non vidi toto hoc anno sancto quidquam majori cum confluxu Urbis celebrari: non feriam annuntiationis Deiparæ, non illam Septimontii Corporis Domini, non quamcumque aliam: neque n. quantumquantum patet vastissimum hoc delubrum D. Petri sufficiebat tunc multitudini: & pars magna frustrabantur hoc adspectu: multi parum commodè, quid quod cum periculo ex acrobaticis hinc inde machinis lapsabundi ac penduli magè quàm subnixi fruebantur. Ipsâ nocte pyrobolia pulcra & sequenti quoque alterâ magis ad Hispanum ingenium superbo interpretatu. castellum erat, character Castiliæ: huic caballi gemini superpositi utramque Siciliam referentes. quibus iterum altiori loco Leo, imago Philippi IV. hoc adspectu, ut premere videretur, ac triumphare. Utroque die frequentes Cardinalium, principumque aditus ad
Legat-

Legatum : cujus in Palatii area fons quidam erat salientis, non aquæ, sed meri, & ad illum, & juxta illum, & circumcirca (Bacche tuam fidem!) quantâ plebe! Porro festum D. Stephani non omitto apud Te tangere: nam equestre. & in æde D. Joannis Nationis Florentinæ, viâ Juliâ cum primis solenniter celebrabatur. palatium aliquod Alexandri vel armamentarium crederes ingredi, quàm ecclesiam. aded antepagmenta bellica & speciosis armis undiquaque exornaverant Equites D. Stephani, qui hîc in habitu sui ordinis comparebant, præsentibus Aræ sacris ac panegyrico qui Patrono dicebatur. Jam ad castra Hispana redeo: & quid tandem de obsidione Portus longi? ipse nosti, COMES ILLUSTRIS SIM E, quod tribus prope mensibus, ambigûa forte, & tormentis, & consertis manibus, & vi omni & immensis copiis terrâ marique adgressi, tandem non nisi deditioe obtinuerint. Refert

prolixè Gualdus, quâ dexteritate hæc ipsa loca Plombinum ac Portum longum Galli Tui anno 1646. sub ducibus Marefcallis Migliareo ac Plesseo Praslineo occupavere: & quasi ipse admirabundus claudit hisce: è così l'importantissima piazza di Portolongone restò preda de' Francesi, che per i successi occorsi i mesi avanti. non era d'alcuno giudicata impressa così facile è riuscibile, comè l'effetto hà dimostrato. At non idem, scio, scribet aliquando de hac ipsa urriusque loci recuperatione Hispanorum. Venerant tum Orbitello Galli, obsidione fessi, diruti, pertæsi ærumnarum, & pars magna ex vulneribus pugnæ invalidi: venerant Hispani in hybernis ac æstivis lautissimè nuper habiti, sub pellibus adfluentes, annonâ, armis, classe, suppetisque instructissimi. Occupaverant solitâ celeritate Portum longum Gallii; & constanti famæ ægre credebatur jam occupasse: Hispani duobus mensibus & ultra heic fatigati, nec
 constan-

constantissimæ famæ credebatur nondum vel abligurisse, quod jactaverant, vel expugnasse. Denique modicâ copiarum jacturâ res confecta Gallis : Hispanis vastâ strage constitit. Nam quidquid spe ista devoraverant, fore ut vel ad famam tantæ classis ac copiarum dilaberentur præsidia Gallica : non dilapsa tamen, non dilapsa, nec ingressus *JOANNES* Princeps Austriacus nisi tristi ac cruentâ pompâ, & ad decem millia cæсорum numerati. Hæc excepit electio qua Serenissimus Poloniarum & Sueciæ Rex, ac Dominus meus Clementissimus Eminentissimum Virginium D. Mariæ in Cosmed. Cardinalem Ursinum **PROTECTOREM POLONIARUM** in hac aula Summi Pontificis, post excessum Casparis tit. D. Pancratii Cardinalis Matthæi, destinaverat : festinato ad Illustrem ac Reverendissimum Roncallium (Virum multis beneficiis mihi notum, & cui inter alia ac supra omnes hoc acce-

ptum refero , quod Romam Romæ non requisiverim) Regni , ut nunc vocant , Residentem in hac aula , nuntio , quo Romæ primùm noscebatur. Neque debuit sanè sub felici JOANNIS CASIMIRI imperio , nec ex dignitate Augusti Poloniarum Throni , nisi Magno Urbis Cardinali , Magnus Italiæ Princeps in tam augusta Protectione succedere. Ac quo die Eminentissimus , auspicii causâ , sacris in Æde D. Stanislai Nationis Polonæ interfuerat , vesperi Puerperium Serenissimæ Poloniarum Reginae , accenso hinc inde ad Palatia & per Urbem igne , more circa talia fueto , celebrari. Sed omisi inante Legatum Joannis IV. Lusitaniæ Regis , Episcopum de Lamego , non visum Pontifici , ac desperatâ penitus ad illum admisione , jussu regio clam ex urbe tandem discessisse. increbescente rumore jam pridem sparso , Hispanis autoribus , decisum Clero Lusitaniæ , creare Patriarcham : ut ita hæte-

hactenus coemptum, inditumque Pontifici ab Hispanis in Brigantium Principem odium solidius efferveret, ac isto quasi fotu in intensius indies, & fors tandem ad Interdictum usque efferreretur. Scilicet donec Pinarium genus, Potitii extis solennibus non vescebantur: & dum inter fasces summos INNOCENTIUS, non heic aura ferè apud aulam nisi Castiliæ. Hoc tempore iterum à prælo recens Bulla Papæ jam tum anno cIo Ioc XLVIII die xxv Novembr. edita: qua nullitas articularum nuperæ Pacis Germaniæ declarabatur. Intimo cum doloris sensu percepisse, inquit, utrâque Pace Ferdinandi Cæsaris & quam Osnabrugis die VI Augusti anno cIo Ioc XLVIII cum Suecis iniit: & quam iniit Monasterii xxiv Octobris eodem anno cum Christianissimo, gravissima Religioni Catholicæ, Sedi Apostolicæ ac Romanæ, ecclesiisque inferioribus illata præjudicia. Utriusque quidpe
pactio-

pactiōibus bona ecclesiastica aliàs ab
 hæreticis occupata , illis eorumque in
 perpetuum addici successoribus. *Hæ-*
reticis ut vocat, *Augustana Confessionis*
liberum suæ hæreseos exercitium in pleris-
que permitti locis. ecclesiastica bona sublatâ
denominatione suâ in feudum , sub titulo
secularis dignitatis , concedi. quid ? quod
 ad nonnullos Archiepiscopatus admit-
 ti, Episcopatus, alia. *Numerum Septem*
Electorum Imperii , olim Apostolica au-
thoritate præfinitum , sine Sedis benepla-
cito augeri , jamque Octavum in favo-
rem Caroli Ludovici Comitis Palatini
Rheni hæretici institui. Omnia , quibus
Nuntius Apostolicus oblocutus , quibus
se opposuerat : & quæ nunc Ipse motu ,
scientia , deliberatione & potestatis pleni-
tudine paribus damnabat , annullabat , &
contra illa , deque eorum nullitate coram
Deo protestabatur. Ferunt Imperato-
 rem Nuntio Apostolico Bullam offe-
 renti regessisse : se quidem ecclesiæ ac
 imperii bono , antiquâ Domus Au-
 striacæ in Deum & res sacris pietate ,
 fecisse.

fecisse, quod potuisset: at crimen simul & dedecus esse seculi, Cathedram ac Claves Petri foeminam usurpare. Unde (si quidem non juxta fabulas hæc responsio Cæsaris) constanti quorundam adsertione, quibus aulæ hujus peritia, accelerata Pontifici diu agitata Cardinalis Nepotis adoptio. Quicquid autem horum, mox pulchrâ metamorphosi in consistorio publico vidimus Illustrissimum Astallium in Eminentissimum Pamphilium transformari, ex Clerico Cameræ amicâ (fas sic loqui) palingenesiâ surgere Cardinalem, & qui hæctenus aliorum factorum fuerat, jam familiæ Pontificiæ, & honorificentissimo titulo INNOCENTII X NEPOTEM salutari. Hujus electio vario animorum habitu per aulam ferebatur, prout quisque favore potens Olympiæ regnatricis, vel obnoxius dominatui. quibus tamen hodie moribus vivitur, certatim fastigium istud omnes lætè jam adplaudere: omnes?

non

non OLYMPIA: imperii vetus,
& quæ in diminutionem sui omnino
accipere. nec præter rem, si, quod
res est, dicendum est: dum omnes,
ut mos Palatinis, imò orbi, ad hunc
orientem obversi Solem: ac mox vio-
lentâ & citâ mutatione apud illam an-
ticamera, confluxus, hecatombæ, cæ-
tera aulæ, desierant. Cum primis in
Eminentissimum Panzirolam, quasi
autorem Pontifici hujus electionis,
mordaciter invec̄tam spargebatur:
rediviva seculi Agrippina, dicente
quodam, si ambitum fastumque spe-
ctas, & quæ cum filio Principe, ejus-
que Conjuge Principissa, ut nunc vo-
cant, de Rossano, muliebribus causis,
hactenus perplexata. Id quod autem
tantum abest ut meum faciam, ut tu-
tius mihi omnino sit, & ingenio meo
aptius, quemadmodum de Magnorum
soleo, ita nunc de Magnæ quo-
que Olympiæ (quidni enim non Ma-
gnam dicam, cui Levir Pontifex?)
actis reverenter sentire, quàm liberè:
jamque

jamque transeo. Die anniversariâ electionis in Pontificem Innocentii X. quâ Roma paratu festo, finitis in sacello sacris, Eminentissimi Cardinales, interprete Decano Collegii Lanti, solenne illud *AD. MULTOS ANNOS* defungebantur. Dabatur famæ hoc die expositum iri oculis omnium Obeliscum, quem in foro Agonali, ubi Pamphiliorum Palatium, immenso sumptu curavit erigere Pontifex: sed dabatur. Ille vero nondum expositus: nec in hodiernum usque absolutæ circa fontem Aquæ Virginis cui impositus operæ. Et cum Pamphilio huic Obelisco, reconditæ eruditionis opus, æternum volumen (quo & hieroglyphica ejus, & abstrusa infinita alia sapientiæ Ægyptiacæ, audaci, novo, & hucusque intentato interpretatu ab interitu post tot secula prodigiosè vindicantur) explicando dedicârit ille Germaniæ suæ Gloria, incomparabilis polyhistor, Societatis Jesu Sacerdos *KIRCHERIUS:*
ad

ad patientiam ac moderamen justissimi
desiderii, ILLUSTRIS-
SIME COMES. Te invito, donec ad
vos perferatur. Nam à me non est ut
hic quicquam speres: nisi quod in-
scriptiones tamen istas, quasi propo-
mata magnarum lautitiarum, quas da-
bit Liber, non possum non inantecef-
sum jam præportare. & sunt istæ:

INNOCENTIUS X.

P. M.

OBELISCO ÆGYPTIO
QUATERNIS FONTIBUS
EX AQUA VIRGINE DEDU-
CTIS IMPOSITO
NATALI DOMO PAMPHI-
LIA MAJOREM
IN AMPLITUDINEM EX-
TRACTA
AGONALE FORUM AMPLI-
FICATUM EXORNAVIT
URBI ROMÆ MAJESTA-
TEM ANTIQUÆ
PULCHRITUDINIS
ÆMULAM
RESTITUIT.

II.

HERMETICUM OBE-
LISCUM

A SOTHI REGE HELIO-
POLI ERECTUM

AB IMPERATORE CARA-
CALLA ROMAM DELATUM
INTER CIRCI CASTREN-
SIS RUDERA

JACENTEM FRACTUMQ.
INNOCENTIUS X.

P. M.

AD ORNANDUM ERUDI-
TIS ÆGYPTIORUM MY-
STERIIS AQUÆ VIR-
GINIS FONTEM

TRANSTULIT, IN-
STAURAVIT,
EREXIT.

III.

INNOCENTIUS X.

P. M.

AMOENAM SALUBRITA-
TEM CUM MAGNIFICA
ERUDITIONE CON-
JUNGENS

LITERATUM HERMETI-
CIS ÆNIGMATIS LA-
PIDEM

AQUÆ VIRGINIS FONTI
IMPOSUIT

AD SEDANDAM COR-
PORUM

ET ACUENDAM INGENIO-
RUM

SITIM.

IV.

I V.

SUPER MONSTRA
 ÆGYPTIA AUREA
 INSIDET COLUMBA
 HOC EST SUPERSTITIO-
 SAS SECTAS
 VERA CALCAT RELIGIO
 QUÆ PACIS OLEAM GE-
 STANS
 VIRTUTUM LILIIS RE-
 DIMITA
 OBELISCUM PRO TRO-
 PHÆO SIBI STATUENS
 ROMÆ TRIUMPHAT.



Æterùm lætus hic Creatio-
 nis, ut & Coronationis qui
 pauld pòst sequebatur, Pon-
 tificiæ dies apud aulam, læ-
 tus per urbem & palatia principum,
 ecclesiasticorum, secularium, lega-
 torum, magnatum, nobilitatis, igne
 vario

vario lætus pyrobolia Castellæ archan-
 geli : brevi, fateor, sed verè lætifi-
 cã & quæ sermone nunc Romano *gi-
 randola* dicitur. globus erat, qui vi ni-
 triti pulveris, ex mortario, in altum
 actus, modicã regione aëris rumpe-
 batur mille aliquot stellulis amabilissi-
 mis, læti ignis, adpectusque læti in
 descensu distinctissimus, qui quasi
 Chaos indigestum adscenderat. res
 diutini Operis, momentaneæ volu-
 ptatis: hoc querebar. Præterea serio
 Pontifex laudabili quod memoravi
 insistebat instituto, quò vita monastica
 intra terminos coërceretur: hoc rigo-
 re ut nunc investitura ac Professio ir-
 ritæ, quas non Breve Pontificium
 præter Consensum Congregationis
 adprobasset. Audio Societatem Jesu
 anxie hanc Falcidiam ac stateram pro-
 ventuum declinare, utpote quæ sui
 sibi omnium optimè conscia super-
 pondii ditissima omnium: sed Pam-
 philium hætenus perstitisse Pamphi-
 lium h. e. eundem omnibus, tenacis-
 simum

simum æquitatis. Neque tantum ordinare rempublicam ecclesiasticam, sed & hortulanum imitatus, dedecora ejus veluti lolia evellere ac antiquare seridè meditatur. Cujus die *xxi v* Octob. hujus anni illustre dedit Orbi documentum: quo suppressit ordinem Religiosorum S. Basilii de Armenis. Res est scitu ac notatu digna: non pigrabor potissima suppressionis hujus Pontificiæ verba adponere. Innocentius Papa *x* ad perpetuam rei memoriam. *Commis̃sa Nobis à Supremo Patre Agri Dominici, &c.* Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii Religiosi Ordinis Sancti Basilii de Armenis, qui numerum quadraginta in totum non excedunt, sinique animis adeò discordes ut simul religiosè convivere, & sese invicem sufferre minimè queant, ac propterea quàm plurimè rixæ, dissensiones, scandala, delationes animorum, vulnera, propinationes veneni, & homicidiorum tractatus, imò ipsa quoque homicidia secuta fuerint, & odii regnantibus in dies pe-
jora

jora timeri possint, præcipuè cum ob
 hoc relaxata disciplina regulari neglectis-
 que studiis literarum juvenus pravè edu-
 cata, ac ut plurimum extra claustra per-
 noctans, nullam spem faciat melioris fru-
 gis, & reformationis. Idcirco nos de
 consilio Venerabilium fratrum Nostro-
 rum S. R. E. Cardinalium negotiis &
 consultationibus Episcoporum & Regula-
 rium Præpositorum, qui præmissa visita-
 tione Apostolica per religiosos viros, zelo
 & pietate præstantes, & ad hoc speciali-
 ter delegatos, visisque & examinatis a-
 ctis & processibus visitationis hujus-
 modi negotioque sæpius proposito, illud
 mature discussissent, Motu proprio, ac
 ex certa scientia & matura deliberatione
 nostris, deque Apostolicæ potestatis plenu-
 dine Ordinem Sancti Basilii de Armenis
 prædictum, tenore præsentium perpetuo
SUPPRIMIMUS & EXTIN-
GUIMUS, ac Religiosos Ordinis
 Suppressi hujusmodi quoad vixerint omni-
 mode jurisdictioni & obedientiæ Ordina-
 riorum locorum subjicimus in habitu
 Cleri-

Clericorum secularium &c. Jamque præcipite ac non nisi aliquot septimanis sibi superstite *ANNO SANCTO*, increbescere ac augeri iterum apud nos Romæ videbantur, qui nunquam planè desierant confluxus concursusque undiquaque populorum. Nimirum quibus lustrata Italia, vel qui alibi æstus exegerant, aut aliarum civitatum incolæ, inquilini, Romæ denuo congregabantur spectatum imminencia rariora phœnomena. Quid de Italia memoro? venerant aliunde quoque infiniti religionis causâ, & hos inter, qui multorum & omnium mihi instar est, Celsissimus ac Reverendissimus Princeps Venceslaus Leszinski, Comes de Lesno, Episcopus Varmiensis, nec non Terrarum Prussiæ Præses splendidissimo cum comitatu ex Poloniâ adventabat. Princeps quem nunc Roma omni sermone facundum admiratur: quasi non Istulæ aut Borysthenis sed antiqui Tyberis, simulque Arni, simulque Sequanæ

E incom-

incomparabilem accolam. gratus ex occasione Jubilæi apud Summum Pontificem felicitatis & victoriarum Augusti Regis heic nuntius. gratus apud Cardinalem Nepotem per aulam omnem, & Urbis hospes. Dumque quæ promiscuè largitur, quæ in pauperes erogat, & quæ in vulgus dantur splendidâ magnificentiâ, missilia aurea, Universa, singula imagine serenissimâ Regiâ, præfulgentia, dum non nisi auspicia regia, pectora Polona ac terga Cosacorum opportunè loquitur, quidni dicam Invictissimum Regem meum extra imperium, ac quod supra omnem pompam est & Capitolium, vel absentem in animis Romanorum nunc triumphare? At, si angustias chartæ circumspicio, necesse est ista, & quæ alia multa hujus anni, omittere, ut, quæ ipso die vidimus, succingantur. Terminalia ajo Jubilæi, & quâ pompâ *PORTA SANCTA* claudebatur, neque tamen operæ puto jam dicta iterare: & in antecessum dico:

dico: heic cum Apertione pleraque eadem. Igitur vigilia Natalis eadem iterum in Vaticano, Cardinalium, Principum congregatio: simili populi multitudine priori quoque pompâ ad Basilicam Petrinam descendebatur. ibi venerari, adorare Pontifex Altaris Sanctissimum: puto inter alia, quod nunc magnus dies magno anno imponendus. Inde ante vultum Sanctum, & cum illo Basilica populosissima, universi singuli porrò congeniculati inclinabantur, ac quamprimum divino simulacro pretiosa levabantur involu-
cra intonabat antiphonam cum jucunditate exhibilis, & hinc ordine solenni Chorus, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ. Cardinales præire perque Portam Sanctam exire Templo, ac post omnes ultimò Pontifex: qui vix egressus vultu læto illam respicere, ac quasi adloqui, intonando ista:
*ADſUTORIU M NO-
 STRUM.* &c: Inde cæmenta, lateres qui juxta portam & quibus illa

iterum struenda erat claudendaque
 consacrabat. ad stare cum trullâ Archi-
 presbyter Cardinalis, præbere humilli-
 mè cœtera Pœnitentarii, alii admovere
 calcem, alii præportare coctos, tum-
 que Pontifex cincticulo præcinctus
 inchoaturus structionis fundamenta,
 laterem primum congeniculatus solen-
 ni spectaculo ponere: suppositis XII
 capsulis variorum numismatum (quo-
 rum ab una parte imago *INNOCENTII X.* ab altera Portæ San-
 ctæ & hæc verba *APERUIT,*
CLAUSIT ANNO cIo Ioc
 l. ad perpetuam tantæ rei memori-
 am. Hinc ad suggestum reversus la-
 vari manus ordinariis sed pompaticis
 sanè ambagibus. quas inter XII. cœ-
 mentariis Porta struebatur, donec fini-
 tis illis Ille iterum, & spectaculo ite-
 rum valde devoto, pio, submissis in
 terram poplitibus & flexis ad cœlum
 oculis in hæc modulatè prorumpere:
*SALVUM FAC POPU-
 LUM TUUM DOMINE*
 Choro

Choro cœtera persequente. Inde ad Pergulam solitam obstupendæ Porticus, obstupendæ ecclesiæ D. Petri delatus Benedictionem ingenti populo in forma Jubilæi, INNOCENTIUS inquam DECIMUS iterum & extremum (nam nosti verba Petri. NEMO VIDEBIT DIES MEOS & quod illa nunc trahantur) in forma Universalis & Ordinarii ecclesiæ Jubilæi impertiebatur. immensum mox reboante Hadriani mole, votivâ urbe, minimis mediis, maximis, universis, singulis, lætis, exultantibus, adclamantibus *viva Casa Pamfilia, viva Innocenzo*. Et hæc de Anno Jubilæo ILLUSTRISSIME COMES qualis qualis mea relatio; imò eloquar clarius, quod Tu senties; defaultoria, levis, brevis. ex fide tamen & autopsia (hoc testor) scripta, etsi non ad majestatem tantarum rerum. fateor, fateor. Neque enim dum peregrinamur omnino pla-

nè nostri sumus, & si usquam alibi
 Exteri, certè Romæ inter tot & tan-
 ta, antiqua, nova, distrahimur. Ego
 sanè nonnisi benevolentia Tuâ & jus-
 su fretus conceptus hos inchoatos nunc
 ad Te mitto: & erit porrò mihi
 excusando, & esto, precor, angu-
 stia temporis quâ hæc scribellavi,
 magnitudo argumenti, quod cona-
 tus. Vale. Dabam Romæ X X I V.
 Xbris. h. e. die terminali Anni quem
 dixi Jubilæi, qui in Christianum in-
 cidit c I o I o c L.

Jamque instant quibus ea curatio
 apud Pontificem, ut quod nunc Ro-
 mæ desinit Jubilæum, in Gallias,
 Hispaniam, Germaniam & ad Ar-
 ctoum Orbem nostrum transferatur:
 ut quibus non licuit adire hoc anno
 Romam, ejusdem Jubilæi tamen in-
 dulgentiis ecclesias quattuor civita-
 tum suarum totidem vicibus adeun-
 tes, Universalis Patris, ut adpel-
 lant, beneficia paternè beentur do-
 mi. Sed Tu mihi iterum I L L U-
 STRIS-

*Novi
 Testamēt
 noua, anti
 quia, no
 non omni
 nostri/que
 li. 1. a
 1569
 4m*

JUBILÆO. 103
STRISSIME COMES vale,
& favere, quæso, perge, qui Te
æternùm venerari.

ILLUSTRISSIMI

NOMINIS TUI

prolixo cum cultu

Observantissimus

JOAN. ERNEST.
SCHMIEDEN.

1781
PUBLI E O
STRISIME COMES
Et fiveto, dudo, poge, qui 75
aromati venetari.

ILLUSTRISIMI

NOMINIS TUI

prolixo cum culis

Opferung


JOHANN ERNEST
SCHMIDEN


ERRATA.


Pag. 10. lin. pen *noll* leg. nell' pag. 11. l. antep.
 de l. de' pag 12. l. 19. venirci p. 13. l. 9. Benzanius
 l. Benzonius. l. 11. l. effato p. 14. post *Parisiu* dele
 punct. p. ead. l. 21. all l. all' p 15. l. 23. post *probatam*
 pone punct p 16. l. 1. *anto* l. *santo* l. 12. l. 10 celebrò
 l. 19. Non l. Nam p. 19. l. 3. dele aliasve p. 20. post re-
 verterentur p. p. p 24. l. 6. fuerunt l fuerant p. 23.
 l. 18. suggestu *sceminia* l. ult. l. Comires p 24. l.
 20. l in vicem l. ult. post *demē* *iebantur* p p p 25. l. 5.
 post *a* *seribo* p p l. 20. etiam l. Sc jam p 26. tit. AD
 l. DEL 11 l. Pontificalibus l. 16 l. CRIQUIUS p. 27. l.
 9. curiosos p. 32. l. 18 l. imminentel. 10. quæ p. 34. l.
 11. l. Tyrrheno p. 35. l. 6. itineribus p p p 44. l. 23. l.
 Tenuis p. 47. l. 14. majestati p. p. pag 53. lege 4.
 utramque p p pag. 55 l. 9. l Pontificalis Adfinitis l.
 20. l. sacello Redemptori l. 24 post *Eminentissimus*
 dele punct. p. 60. l. ult. l. in vicem p 64. l. 18. muratu
 p p. pag. 65 l. 3. l. super l. 23. l e p. 66. l. 11. que' l. 4
 l. messel. 5. l. e p 67. l. 24. motibus p p pag 68. l. 9.
 l. celeberrima l. 13. l. inter sel. 16. l Tyrrhenici p.
 69 l ult obnitendi p. 71 l. 5. l. increbescensibus p.
 74. l. 5 l. Genua l. 5. afferebantur, p p pag 75. l 10.
 l. il p 77. l. 3. l. Asturco p. 82. l. 6. fin l e, l. 9. l. avanti,
 l. 10. l. impresa, l. e l 20 l suppetiis p. 88. l. 2. l. in-
 vecta p 90. l. 1. COMES pone comma, p 98 l 21. l.
 quæ hoc p. 99. l 5. multitudine p p l 16. l. *exhibitiu*
 l 18 l. post Patriarchæ dele punct p. 100 l. 15. post
 L. claudatur parenthesis pag. 102. lin. 24. l. bene-
 ficio.


ERRATA


Page 10. line 1. for "the" read "a"
Page 11. line 2. for "of" read "in"
Page 12. line 3. for "and" read "or"
Page 13. line 4. for "the" read "a"
Page 14. line 5. for "of" read "in"
Page 15. line 6. for "and" read "or"
Page 16. line 7. for "the" read "a"
Page 17. line 8. for "of" read "in"
Page 18. line 9. for "and" read "or"
Page 19. line 10. for "the" read "a"
Page 20. line 11. for "of" read "in"
Page 21. line 12. for "and" read "or"
Page 22. line 13. for "the" read "a"
Page 23. line 14. for "of" read "in"
Page 24. line 15. for "and" read "or"
Page 25. line 16. for "the" read "a"
Page 26. line 17. for "of" read "in"
Page 27. line 18. for "and" read "or"
Page 28. line 19. for "the" read "a"
Page 29. line 20. for "of" read "in"
Page 30. line 21. for "and" read "or"
Page 31. line 22. for "the" read "a"
Page 32. line 23. for "of" read "in"
Page 33. line 24. for "and" read "or"
Page 34. line 25. for "the" read "a"
Page 35. line 26. for "of" read "in"
Page 36. line 27. for "and" read "or"
Page 37. line 28. for "the" read "a"
Page 38. line 29. for "of" read "in"
Page 39. line 30. for "and" read "or"
Page 40. line 31. for "the" read "a"
Page 41. line 32. for "of" read "in"
Page 42. line 33. for "and" read "or"
Page 43. line 34. for "the" read "a"
Page 44. line 35. for "of" read "in"
Page 45. line 36. for "and" read "or"
Page 46. line 37. for "the" read "a"
Page 47. line 38. for "of" read "in"
Page 48. line 39. for "and" read "or"
Page 49. line 40. for "the" read "a"
Page 50. line 41. for "of" read "in"
Page 51. line 42. for "and" read "or"
Page 52. line 43. for "the" read "a"
Page 53. line 44. for "of" read "in"
Page 54. line 45. for "and" read "or"
Page 55. line 46. for "the" read "a"
Page 56. line 47. for "of" read "in"
Page 57. line 48. for "and" read "or"
Page 58. line 49. for "the" read "a"
Page 59. line 50. for "of" read "in"
Page 60. line 51. for "and" read "or"
Page 61. line 52. for "the" read "a"
Page 62. line 53. for "of" read "in"
Page 63. line 54. for "and" read "or"
Page 64. line 55. for "the" read "a"
Page 65. line 56. for "of" read "in"
Page 66. line 57. for "and" read "or"
Page 67. line 58. for "the" read "a"
Page 68. line 59. for "of" read "in"
Page 69. line 60. for "and" read "or"
Page 70. line 61. for "the" read "a"
Page 71. line 62. for "of" read "in"
Page 72. line 63. for "and" read "or"
Page 73. line 64. for "the" read "a"
Page 74. line 65. for "of" read "in"
Page 75. line 66. for "and" read "or"
Page 76. line 67. for "the" read "a"
Page 77. line 68. for "of" read "in"
Page 78. line 69. for "and" read "or"
Page 79. line 70. for "the" read "a"
Page 80. line 71. for "of" read "in"
Page 81. line 72. for "and" read "or"
Page 82. line 73. for "the" read "a"
Page 83. line 74. for "of" read "in"
Page 84. line 75. for "and" read "or"
Page 85. line 76. for "the" read "a"
Page 86. line 77. for "of" read "in"
Page 87. line 78. for "and" read "or"
Page 88. line 79. for "the" read "a"
Page 89. line 80. for "of" read "in"
Page 90. line 81. for "and" read "or"
Page 91. line 82. for "the" read "a"
Page 92. line 83. for "of" read "in"
Page 93. line 84. for "and" read "or"
Page 94. line 85. for "the" read "a"
Page 95. line 86. for "of" read "in"
Page 96. line 87. for "and" read "or"
Page 97. line 88. for "the" read "a"
Page 98. line 89. for "of" read "in"
Page 99. line 90. for "and" read "or"
Page 100. line 91. for "the" read "a"














Biblioteka Jagiellońska



stdr0026975

Handwritten text on a small, aged paper label, possibly including a name or title, though the characters are difficult to decipher.

